DISSERTATIO JURIDICA AD TITULOS C. DE ATHLETIS ET GLADIATORIBUS PENITUS TOLLENDIS...

Joachim Nerger, Christian Bohm, Salvatore Fabris, Valenti Gonzaga

OMNIBUS ET SINGULIS

EX

AVITO EQVESTRIQVE ORDINE

p. t.

CELEBERRIMÆ VVITTEBERGENSIUM

ACADEMIÆ CIVIBUS

AC INTER HOS QVIDEM

PRÆCIPUE

GENEROSIS, NOBILISSIMIS DOCTISSIMISq;

VIRIS-JUVENIBUS

DNO. JOHAN CASPARO à NOSTITZ. Eqv. Luf. } OPPONENTIBUS.
DNO. LEVINO GOTTHARDO à BELOV. Eqv Sax. }
DNO. MAURITIO HEINRICO à MILTITZ. Eqv. Misn. }
DNO NICOLAO JOHANNI à BELOV. Eqv. Sax.
DNO. CAROLO CHRISTIANO à NEITZSCHUZ. Eqv. Misn.
DNO. JOACHIMO HEINRICO à STOTTERHEIM. Eqv. Luf.
DNO. ERNESTO ADOLPHO à SALTZ. Eqv. Luf.
DNO. JOHAN HEINRICO à LEIPZIG. Eqv. Misn.
DNO. THEODORO JOHANNI à Rummel. Eqv. Churland.
DNO. JOHAN RUDOLPHO von der Pforte / Eqv. Misn.

Nunc Amicis & Commilitionibus Charissimis,

olim Mecœnatibus suis maximè venerandis

Hunc suum De ATHLETIS & GLADIATORIBUS laborem
Academicum

DAT. DICAT. CONSECRAT.

AUTOR.

Ad

Virum-Juvenem,

Clarissimum, Doctissimumq;

DN. CHRISTIANUM BOHEMUM,

Fautorem, Amicum & Consalinum Singularem,

cum,

EX JURE JUSTINIANEO

De

ATHLETIS,

&

GLADIATORIBUS PENITUS TOLLENDIS,

disputaret.

QVamvis, ob vim Historiarum, & fidem locupletem *C. Julii Solini in Memorabilibus Mundi, Guidonis Pancirolli in rerum Memorabilium sive Deperditarum Parte Priore*, Aliorumq;, ingenuè fatendum sit, Antiqvitatem plurima, qvæ qvantivis pretii, invenisse, sibi per decursus aliqvot temporum usurpasse, & scriptis suis ad posteritatem tramisisse; non tamen ideò & superius, & nunc, qvod vivimus, seculum, suâ laude defraudanda sunt, qvæ rebus suis noviter inventis vel paria fecere cum Antiqvis, aut his palmam præripuerũt: uti probant *Pancirollus Parte posteriore Rerum Memorabilium recens Inventarũ*, ibiq; Salmuth Aliiq; non sublestæ fidei. Germaniæ nostræ, non tantùm Romanæ, sed & aliarum, licet bellicosissimarum Gentium, Victrici ac Triumphatrici, non defuere hactenus decora Ingenia, qvæ Ipsius adinventiones Bombardarum, juxtimq; Typographiæ, aliarumq; rerum celo æqvarunt, & sine affectuum turbine ostenderunt, æ-

qvè

qvà Germanis geminam esse oculum, uti sese solos habere, jactitant Chinensium populi. Hisce Germaniæ Memorabilibus augmentum Athleticæ Artis Tuorum, MI BOHEME, *Fabri Itali Illius, Dn. à Felden Dani Nobilis, ac Dn. Johannis Joachimi Hynitschii* olim in meis Juris Collegiis Collegæ solertissimi, nunc Fautoris Certissimi, adjici posse ut credam, moveor rationibus tuis in hac tuâ Disputatione Artes hæ Athletarum & Gladiatorum, modò facessat crudelitas, cum tanta præstarent; Easdem qvoqve magnifecerunt, & nunc magnifaciunt, Qvi Rerum potiuntur, sive res domi, sive foris gerenda: Facit huc Gentium illustriorum consensus; audi Civilis, sed raræ, Prudentiæ Magistrum, juxtimq; egregiæ, & qvæ Ciceronianeâ ponderosior, Latinitatis Parentem *Johannem Barclajum in Icone Animorum cap. 3.* ubi de Galliæ dotibus & ingenio incolarum agitur p.m. 52.

Cum arte, scribentem gladio ferire, vel deflectere destinatos sibi ictus, qvis neget, ad rem militarem pertinere? Hoc Græci, Romaniq; & omnis gens armis strenua cum ambitu qvæsivit.


Non igitur auscultandum illis,

Qvi Curios simulant, & Bacchanalia vivunt,

Dum Palæstras hasce extirpatas funditùs volunt, utpote qvi hoc modo ipsi Naturæ Juri bellum inferunt, innata etenim, non lata Lex est: Defendi nos oportere, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sed addere plura nolo. Tu verò, Dilectissime BOHEME, macte sis ingenio, & Spartã qvàm publicè nactus es, ornes velim more tuo, i.e. laudabiliter, pacemq; uti hactenus fecisti, inter Dnn. Studiosos conservare satagas: sic enim fiet, ut omnium favorem in te concitaveris: Nec DIVINA Tibi defuerit GRATIA, qvò studia tua, qvæ ut ἔργα sedulò tractas, ad auctumnitatem brevi perducere possis feliciter. Vale ac fave. Dab. è Museo meo, d. 10. Augusti: Anno M.DC.LXXII.

PRÆSES.

Lectori Benevolo.



Ptimus qvisq; mortalium, non sibi, sed publico se esse natum, credat sanctissimè. Ævi hujus mores & nævi aliud persvadent plurimis. Exulat amor in proximum: Nullum amplius admittit charitas officium: Studia ipsa (stupesco referens) privatâ metimur utilitate. Ridetur, qvi probos Virtutum conatus fovet: prohibetur, qvi ad utile publicum vertit animum, repellitur, qvi instat. Me nihil vicit, qvin amor in Antiqvitatem ligato vincula calamo ademerit. Antiqvus probitatis in proximum utilitatemq; publicam fervor scribendi suggessit argumentum. Tracto Antiqvitatis qvædam rudera; Sed forsan meliore conatu qvam feliciore. Confiteor, pompâ magnificâ scribendi genus haud esse inflatum. Nec tale amo, Amo, qvod humili sub crenâ mel, non sub mellita venenum tegit. Et cur non humi repant verba, qvæ humili â corde fluunt? Ut animus, ita & verba conveniant. Non tamen sunto ludicra, qvia non tractant artem ludicram, probante JCto. Sanè Adamanti, Lector Benevole, non denegabis gloriam, qvamvis â paupere gestetur: Auro, qvamvis lateat sub scoriis. Omninò gladiatoriam & prio-

rum temporum Athleticam scire interest. Ad minimum, ne qvid antiqvitatis ignoretur. Loqvendum mihi hic est cum summis sui seculi Viris & Varronibus. De utriusq; laboribus hoc Schediasma utramq; facit paginam. Hisce acceptum feres, si qvid boni inerit, mihi, si erroris. Alter Antiqvitatis Romanæ Præco, Belgicus & Noster Lipsius. Alter tali famâ haud minor, sed & insuper JCtus, Petrus Faber. Prioris verba hæc de gladiatoriâ. Libr. 1 Sat. c. 6. Verum fateamur. Non alius mos est, qvem discertè intelligi pluris intersit Veterum Scriptorum. Qvæ historia ab hac commemoratione gladiatorum, qvis Orator, qvis Poëta abstinuit? Et qvidem pleræqve Metaphoræ, similitudines, imagines, alii flores orationis sunt ab istis. *Petrus Faber in Agonist. præfat: sic loqvitur:* Itaq; nec injucundum laborem hunc meum in Antiqvitatis Agonum, apud veteres Græcos, percelebriorum, obsitæ ac propemodum sepultæ indagatione aut illustratione positum, nec infructuosum tibi fore: Sive Philologus sive Jurisprudentiæ nostræ aut ipsius Theologiæ Sacra colis atq; tractas: facilè mihi persvadeo. *Addidi præterea nobilissimi Eqvitis illius Itali, Salvatoris Fabri, nostra Gladiatoria ad fundamentum deducta nobilissimum inventum. Et cur non nobilissimum, qvod certo & infallibili modo vitam defendere docet? Sanè docet, qvia rationibus prioribus seculis inauditis subtilissimè demonstrat. Mehercle rorantes sæpius solitudo mea meos vidit oculos. Cur hoc? Deploravi infelicia Optimorum qvorundam fata, & nostra haud feliciora. Illorum, qvod in obscuro lateant: Horum, qvod eos probi lateant. Ter me felicem & amplius, si in hoc puncto meum asseqvor votum, desiderium, finem. Digno ut dignus de invento haud indigno restituatur honos, oblivioniq; eripiatur. Deinde ut juventutis Germanicæ Nobilitati certior in & extra*

tra

tra Germaniam modus, qvo vitam defensare qveant, suppetat. Antiqvitas levidense etiam inventum, modò id publicæ esset utilitatis, insigni mactabat honore. Etenim è parvâ re maximum qvandoq; vel damnum vel emolumentum Resp. haurire potest. Romani Civis Servatori Corona dabatur. Mille nostrorum Civium servare, nec cura, qvia non corona. Sic metiuntur qvidam utilitate Virtutes, & nemo gratis amplius vult esse probus. Facessat animus, qvi cum bene potest facere, negligit. Ille laudatur, qvi absq; ulla spe præmii suum facit officium. Probis sat præmiorum Virtus. Sat præmiorum si calamus hic meus servabit Civem. Et servabit indubitatò, si seqvetur. Severioribus studiis fatigatis fatigatum convenire licet. Veniant & animum Germanum invenient. Plurima illis hujus Artis arcana Cunctis Gallis, & plurimis avi nostri in hac Magistris, ne semel audita, qvid qvod nota, sunto reclusa. Et sunto reclusa vel gratis. Etenim animus non est per illam lucrari, nisi publicum bonum. Non finis hoc exercitio omnem transigere vitam. Majora, fatis benignioribus, spiro & spero. Qvidni sperem, qvi incluti hujus Senatus Academici favore sum suffultus. Vobis, Patres Optimi, utinam approperaret hora, me non omninò indignum hujus Academiæ Civem fuisse olim probare confido.

Sed Lector Benevole, de alio adhuc mihi es monendus. Superius præcipuos hujus Disputationis interlocutores Belgam nostrum & Gallum citavi; Ast dissidia inter se foventes. Gallus Sympatriotæ nostro plagii crimen objicit. An jure, meritò cum Præceptore olim, nunc Patrono meo, Nobilissimo Doctore Geislero, Lipsiensi JCto, (qvem Numen in favorem qvoq; Philologicæ antiqvitatis sospitet) dubito. Satis acerbè Gallus in Belgam nostrum fulminat. In principio statim Libr. I. Agonist. c. 1. hæc fermè habet: Præposterus ille labor eorum, qvi actum agunt:

gunt:

gunt: etiamsi alio fortasse modo enarrent ea ac disserant. Non qvidem planè culpandi illi, qvi aliqvod antè dictum proferunt, modò novâ ratione illustrent, nec primos suâ laude defraudent. (Qvod fucis qvibusdam sordidis planè ac illiberalibus hodiè mirum, qvantum in more est) *Per fucos nostrum omninò intelligit Lipsium. Hoc clarius discimus ex c. 35. Libr. 2. Agon. ubi Illiberalis crenâ seqventia notat:* Ipse non satis memor ante annos aliqvot, ea qvæ duobus propè solidis libri Semestrium Secundi Sermonibus cap. 10. & 11. à me collecta circa ludos gladiatorios & Venatorios fuerunt, ita digereret, ac in succum sangvinemqve (qvod dicitur) de nostro suum converteret; ut ex iis aliisq; pauxillis bellum & elegantem Saturnalium librum effingere ac pro suo in vulgus edere, nullâ ne tenui qvidem in eo nostri mentione habitâ, non sit veritus. *Huc usq; Faber. Verùm enim verò sileant talia. Præsumtio militat pro nostro Lipsio, Antiqvitatis Antistite, qvod nunqvam visis Fabri Semestribus, Saturnalia sua concinnare potuerit. Absq; dubio ea qvoq; sic concinnavit. Nulla n. conseqventia: Ex antiqvitate aliqvid congessi, & qvia alius me posterior hæc etiam habet, Ergo Plagiarius est. Melior forsan hæc seqvela: Ergo qvidam Galli Germanorum in literis honorum sunt arrosores. Tam Lipsio qvàm Fabro idem fons aqvas antiqvitatis inde hauriendi patuit. Mea tenuitatis exemplo hoc ego disco. Multa congesseram ex antiqvitate qvæ vel Lipsius vel Faber deinde allegaverant. Tantùm, Benevole Lector, meos hic vides conatus. Sed conatus erroribus valdè obnoxios, forsan plenos. Attamen propterea tuum mihi haud subtrahes favorem. Veniam ingenuitas mea tam dura fata non sperat. Considerabis sortem humanam ab erroribus non omninò esse liberam. Igitur ut majus tuum sit beneficium, me etiam post errores, qvod obnixè rogo, amabis.*

I. N. J.

PROOEMIUM.

MIrum historiam inspicienti Græcam Civilis Prudentiæ, Lumen, fulgur, Romanam, objicitur. Miramur calliditatem Philippi, Tiberii stupescimus. Laudamus fortia Alexandri facta, Julii Cæsaris adoramus. Extollat Græcia Demosthenem, Latium, Ciceronem habet; Latium conjunctim possidet qvod omnes mundi partes divisim habuerunt. In illud mundi punctum, tanqvam ad suum centrum, omnis ferebatur humani ingenii acies. Nec ullum aliqvod institutum Consvetudo Legesve, in qvibus non summa Civilis prudentiæ fragrantia. In his omninò fuit Gladiatoriæ consvetudo, Græcorum Athleticæ longè anteponenda, si abusum sustulisses. Utramq; pro ingenii tenuitate titulorum nostrorum ductu lustrabo, attamen ordine inverso. Loqvar priùs de Gladiatoria, seqvatur Athletica. Idqve in honorem Romæ nostræ, qvem Imperatorem ægrè haud ferre confido. ANNUAT NUMEN!

DE priori igitur verba facturum juvabit ante omnia, unde hujus Artis denominatio, inqvirere. In varias hîc non itur sententias. Omnes consentiunt eam è Latino vocabulo, Gladio, hujus artis instrumento, derivari. Sed unde Gladius dicatur, Autores rixantur. Martinius Martini in Lex. Philol. sub hac voce putat à κλάδος dici, qvod sit ut ferreus ramus & id ut Vossius in Etymolog. ait, cum ramis primùm usi fuerint agricolæ. Isidorus. Libr. 18. c. 6. à gulâ hanc trahit originem. Sic dicit: Propriè appellatus gladius, qvia gulam dividit, i. e. cervicem desecat.

Ad hoc enim est factus. Nam cætera membra securibus cædun-tur, collum gladio tantùm. Nobis arridet Varronis, qvam ha-bet Libr. 4. de lingv. Lat. sententia. Deducit hic à Clade C. in G. mutato, qvia in hostium cladem fit gladius. Utqve omnem removeam Homonymiam inter gladium & pi-scem (qvi in Dania invenitur & suo longo rostro si-milis est gladio) sic dictum, hanc faciam descriptionem: Gladii vel gladia (utrumq; dicitur rectè ut habet Varro Libr. 8. de lingv. Lat.) sunt arma (instrumenta) ad punctim cæsimve co-minus fundendos host.s, & severos Legum trangressores, inqve nostram ipsius legitimam defensionem facta. In farragine Sy-nonymorum habetur qvoq; Ensis. Ubi notandum ex Isid. loc. supr. cit. qvod gladius dicatur Ensis in prœlio. Sed Ensis ferrum tantùm, gladius verò totum. Ego qvi post literas miro haud diro amore arma proseqvor, armorum & in his gladii honorem hîc allegare non erubesco. Plurimarum & moratiorum & non talium autoritate Gentium sum suffultus. Qvid gratius Romanæ qvid antiqvæ nostræ Germanicæ juventuti honoratius, armorum cincturâ, poterat accidere. Utramq; fiebat publicè, qvod & an-tiqvarum tamen solennitatum umbra hodiè utplurimum obti-net in Aulis. Habebatur olim & nunc habetur gladius pro signo Imperii, & Magistratus, qvatenus huic illud nominatim erat da-tum. *Eo* merum imperium h. e. jus vitæ ac necis Civium Im-peratoribus tributum fuisse constat: Cujus nota & signum *gladius*. Et Imperium tradebatur per gladium. Dempste-rus in corpore Antiqvitatum Rom. L. IX. c. 18. p. 916 Sic Com-modus Imperator à militibus salutatus & circumlatus est per ce-leberrimos vicos, strictum D. Julii gladium tenens, detractum delubro Martis, atq; in primâ gratulatione porrectum sibi à qvo-dam. Gladiolus vel pugio idem notabat. Testis est Clapma-rius Libr. I. de Arcan. Rerumpubl. c. 17. p. 48. his verbis: Apud Im-peratores Romanos erat pugio & gladius insigne juris vitæ ac ne-cis. Et illum publicè portabant. Legimus de Galba Impera-tore facto: Iter ingressus est paludatus ac dependente à cervicibus

pugione

pugionē ante pectus. Tacitus 3. Histor. inqvit, Vitellium solutum à latere pugionem Cæcilio Simplici Consuli in Concione reddidisse, tanqvam jus vitæ & necis. Dio his verbis rem exprimit: *Gladium in concione Consulibus & aliis Senatoribus præbuit, velut eâ ratione Imperium depositurus.* Reliqvis Magistratibus ut Præsidibus & Prætorio Præfectis gladius dabatur in signum potestatis animadvertendi in facinorosos. l. 3. ff. de jurisdict. Attamen ipse Imperatoris gladius asservandus erat Prætorio præfectis, eoq; interdum cingebantur, ut videmus ex Tigellino PP. Neronis de qvo Philostratus Libr. 4. in vit. Apoll. c. 14. habet; Tigellinus qvi gladium Neronis gestabat. Non tantum gladius sed & hasta insigne erant Imperii publicéq; proponebantur, ad deterrendos seditiosos. Jacobus Rævardus *Libr.* 2. de divers. Reg. Jur. ex Cypriano hoc tradit: *Sævit invicem discordantium rabies, & inter togas pace ruptâ forum litibus mugit insanum. Hasta illic & gladius, & carnifex præstò est.* Sic legimus, qvod Turcicus qvidam Bassa in signum capitalis pœnæ ante ædes alicujus Templi strictum acinacem poni curaret. Causa rixæ erant Reformatorum cum Pontificiis de statuis & imaginibus. Qvædam gentes Deorum cultu gladios sunt proseqvutæ. Ex Marcellini de Alanis omninò verbis hoc discimus: *Nec templum apud eos visitur nec delubrum, ne tugurium qvidem culmo tectum cerni usqvam potest: Sed gladius, barbarico ritu, humi figitur nudus, eumq; ut martem regionum, qvas circumeunt, præsulem, verecundiùs colunt.* Qvid qvod suos Deos non solum armarint, hunc fulgure, hunc Scuto, hunc Sagittis & arcu, hunc caduceo, hunc falce, hunc clavâ, hunc hastâ &c. Sed & ab origine rerum pro Diis Deabusqve immortalibus hastas coluerint. Has Materes dicebant, de qvibus Lilius Gyraldus notat, Materes Gallorum fuisse tela. Cæterum multa de mirandis qvorundam Heroum gladiis in historiis parent. Qvibusdam singularia erant, credo, propter insignem tincturam, nomina. Rolandi, Caroli M. ex sorore filii gladius Durandanus, vel Durandalus, à duritie, ut multis, probabilius, ut mihi à germanico dauren vel ut antiqvis pronunciabatur duren nomen traxisse videtur. Post ejus fata hic gladius jussu Caroli M. in Civitate Blajensi ad Garro-

nam

nem in Monasterio S. Romani ad Rolandi sepulchrum fuit positus, ut vult Gyraldus in Chronographia. Non minus celebris Caleburnus, ille Britonum Arturi gladius. Duos hic miræ magnitudinis Gigantes, & uno prœlio qvadringentos & septuaginta ex hostibus interfecit. Sit hujus rei fides penes Sigebertum Gemblacensem. Sic qvidam celebrant acinaces Georgii Castriotæ, & Ismaelis Persarum Regis. Unico hic ictu sæpè bestias ille Turcas dissecuit. Qvicqvid hujus rei sit; ego non tâm illorum acinaces qvam brachia laudo. De gladio Martis qvem habebat Attila, qvomodo inventus, & qvantam fiduciam in illum posuerit, vid. Jornandus in reb. Get. c. 35. Hoc gladio cum esset cinctus Lupoldus de Mersburg Imperatori Henrico charissimus, casu Anno 1071. vulneratus illicò expiravit. Annales Lamberti Schaffnaburgensis hoc memorant. p. 485. Verba qvæ subjungit integrè huc adjungam. Notatum autem est hunc ipsum fuisse gladium, qvo famosissimus qvondam Rex Hunnorum Attila in necem Christianorum atq; in excidium Galliarum hostiliter debacchatus fuerat. Hunc siqvidem Regina Ungariorum Mater Salomonis Regis, Duci Bajoariorum Othoni dono dederat, qvum eo suggerente atq; annitente Rex filium ejus in regnum Paternum restituisset. Cumq; eum Dux Otho filio Dedi Marchionis, Dedi juniori in argumentum pignusq; individuæ dilectionis ad tempus præstitisset, illo ut prædictum est perempto Regi & per Regem Lupoldo huic casu obvenerat. Unde pleriqve Ducis Othonis fautores divino hunc judicio per eum, qvi Ducis Othonis, fuisset, gladium occisum interpretabantur. Huc usq; ille. Hunc gladium Attilæ temporibus omnes aruspices fatalem ad interitum orbis terrarum excidiumqve multarum gentium, ipsumq; iræ DEI vindicem sive flagellum dicebant Barbari, qvod cognomen aliàs Attilæ qvoq; qvidam tribuerunt. Stupendas Turcarum fabulas de Gladio Alis, Sulficar dictô, & 18. pedum longo, allegare animus non est. Qvi ridere cupit, Leunclavium Hist. Musul. Libr. 1. adeat. Sed placet Alexandri M. ex dono Regis Citieorum mirâ tinctura & levitate gladius. Plutarchus in ejus vitâ inqvit, eum fuisse solitum in pugnâ plerumqve rem gladio gerere. Virgilius de gladio Turni in

Stygio

Stygio amne optimè temperato verba faciens, cecinit in hunc modum:

Ensis qvem Dauno ignipotens Deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia condentem tinxerat undâ.

Romanis præcipuè gladius probabatur Hispanicus. Etenim illius, teste Polybio, tam forma qvam materia optima. Valebat ad utrumq;: & cæsim & punctim ferire hostes. De vehementiâ ictus Senec. Libr. 5. de benef. Galeam machærâ hispanâ divisam. Et Diodorus: libro 6. Lipsio de Milit. Rom. L. 3. dial. 3. p. 116. citante: Neq; Scutum neq; Galea neq; ossum sustinet ictum. Maximum in conficiendis probis gladiis cœterisqve armis temperatura habet momentum. Flumina ad hoc scriptis Veterum commendantur. Apud Martialem Salo, à Justino Chalybs, ab aliis Jberus, unde Jberæ loricæ pro fortissimis apud Horatium leguntur. Sic etiam Noricus, Biblis, Tarasſius &c. Ensis verò Temperamenta ad cæsam & ad punctam qvomodo conficiantur vid. Kircher. Mund. Subt. Libr. X. Sect. 4. §. 2. p. 221. Sanè tam ornamentum qvam maxima necessitas Reipublicæ est bonis gaudere armis. Merentur omninò laudem Turcarum acinaces, illis Kilitz, Arabibus Seife dicti. Hoc intelligentes ipsi, maximè, ne exportentur, curant. Idem fecêre & adhuc hodiè faciunt omnes populi, commercia armorum cum hostibus defendentes. Nostris veniunt nomine contrebande Wahren / qvod tamen adhuc omnes res ad bellum pertinentes includit. Antiqviorum Germanorum prudentia exinde hancLegem condidit: Arma & Brunias non ducant ad venundandum. Capit. Caroli l. 3. cap. 6. Non solum verò Gladius sed & gladiorum artifices olim magni habebantur. Penes Romanos Jure immunitatis gaudebant, ut videre est l. 6. ff. de jure Immun. Budæus enim ad hunc locum putat, qvod per vocabulum Gladiatores non intelligantur μονομάχοι qvi à Lanistis instituebantur sed μαχαιροποιοὶ i. e. gladiorum artifices. Cui ipse Lipsius pollicem premit 1. Sat. 7. in fin. dicens, hîc gladiatoris vocabulum propriè accipi, sed parum usitatè. Rursus de nostris Germanis legimus In Allemannischen Gesetzen L. XI. Die Allemannier haben ins ge-

mein ein Schwerdt zu beyden Feusten geführet / und solches Spatham genennet / und wer einen Fabrum Spatharium umbbracht / der hat denselben umb 40. solidos gleich einer Adelichen Persohn / gebüst. Gladiis etiam antiqvitus, ut Scutis emblemata & signa Gentilitia insculpebantur. Artificium Chalybi literas inscribendi suppeditat Kircher9 Mund. Subt. Libr. X. Sect. IV. §. 2. Memini olim legisse de gladio Gustavi Adolphi Svedorum Regis, in cujus uno latere Martis character cum pluribus aliis, in altero ille versiculus tradebatur:

Audacem fortuna juvat timidosq; repellit.

Inimicus ille Autor eum magica arte confectum fuisse putabat. De similibus multi scripserunt Autores, modumqve conficiendi tradiderunt.

TRACTATIO.

TITULI C.

De Gladiatoribus penitùs tollendis.

§. 1.

AB instrumento ad Artem, à gladio ad Gladiatoriam devolvor. Illius Qvidditatem hæc descriptio aliqvô modo dabit: Gladiatoria est Ars ritè suum corpus gladio defendendi, hostilesqve insultus minori negotio & securius punctim cæsimve propulsandi, in usum Reipublicæ introducta.

§. 2. Qværis de inventore & origine? Origo Gladiatoriæ Hetruscis à Damasceno adscribitur. Hermippus apud Athenæum inventores Gladiatoriæ facit Mantinenses; Alii alios. Qvidam illius natales dispersioni gentium Babylonicæ faciunt coævos. Agmen ducit Cluverius Libr. 1. Ant. Germ. p. m. 100. Loqvitur ibi de ritu exercitiorum Gymnastico in funeribus usitato. Ejus verba hæc: *Idem aut simile qviddam apud Germanos in nobilium clarorumq; Virorum funeribus factitatum, omninò ego mihi persvadeo. Hic qvippe ritus omnibus pariter per universum terra orbem gentibus olim*

communis

communis fuit. Et paulò post: *Quæ similitudo apud tam diversas tamq; longè inter se remotas gentes haud facilè extitisset, nisi ex unâ eâdemq; origine promanasset: nempe ex Asiâ in Gentium ab Urbe Babylonicâ dispersione.* Ridebunt hoc multi; sed ridiculum id mihi non videtur. Laudo conjecturam; certam affirmationem illi probo.

§. 3. Historica sanè fides hunc morem Libitinæ ut antiquissimum refert. Herodotus Libro 5. de Thracibus: *Aggesto desuper tumulo cum alia omnis generis certamina proponunt. tum præcipuè certâ ratione monomachiam.* Appianus de usitato Gladiatoriæ ritu narrat de antiqvioribus Hispanis: *Itaq; Viriati funus qvam magnificentissimè exornatum in altissimo rogo cremaverunt. Cæsisq; multis hostiis, tam pedites qvam eqvites per turmas in orbem armati decurrentes, barbarico ritu eum celebrabant & donec ignis extingveretur omnes ipsum circumsedebant. Peracto funere gladiatorium munus ad Sepulchrum editum est.* Et omnem dubitationem hujus rei Dionysius Halicarn: nobis submovet. Sic dicit: *Certamina qvidem funebria in honorem Clarorum virorum Gymnica & Eqvestria à necessariis facta tradunt.* Possem hoc confirmare exemplo Achillis in Patrocli & multò ante Herculis in Pelopis, Æneæ in Anchisæ funeribus; sed consultò brevitati gero morem.

§. 4. Qvæ causa verò crudelis hujus in funeribus ritûs, omnes fermè Autorum silent. Ego ex Tertulliano hanc do: *Olim qvoniam animas defunctorum humano sangvine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio servos mercati, in exeqviis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaq; qvos paraverant armis qvibus tunc & qvaliter poterant eruditos, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant.* Non tamen qvocunq; sangvine animas placari veteribus velim credas. Multi id opinantur, sed falsò.

§. 5. Ex Theologiâ Gentilium disco, manes placari inimico sangvine. Hinc notanter Tertullianus, *captivos.* Testimonium dat Sangvis Iphigeniæ. Et pœnas malorum cepere. Exinde *malo ingenio servos* nominavit. Qvod insontes verò qvandoq; trucidarentur ad rogum, longè alia erat ratio. Scilicet, credebant nobilem satellitio stipari animam debere, ut abundè id videre est ex Historiis Indicis.

 §. 6, Nisi

§. 6. Nisi dirum Paracelsi (memini me olim id legisse) errorem errare velis. Existimat Impius animas tamdiu circa sepulchra versari, qvamdiu possint frui exhalationibus pingvedinis cruorisq; qvibus delectentur mirificè. Nihil efficeres. Nam locum vult intelligere de cruore exhalationibusq; corporis qvod anima inhabitavit. Verum enim verò si velles errare cum qvibꝰdam aliis, certo anni die mortuorum sepulchris lac & edulia imponentibus, (qvi mos ex horrendis gentilium tenebris emanavit, ibiq; adhuc durat.) philosophicè respondendum esset.

§. 7. Redeam ad nostros Gladiatores Sacros. Bustuarii illi dicebantur, ut notat Servius ad Virgilii dictum:

Viventes rapit inferias qvos immolet umbris.

Hi origine fuerunt primi inter Gladiatores. Lipsius Libr. 1. c. 8. Sat. inqvit, *olim tantùm in funere Gladiatores fuisse. Nec eo omni; sed virorum principum, illustriorumq́.* Nam singularis erat magnificentia, qvam tamen vitio temporum etiam Plebeji sibi arrogârunt. Apud Horatium & Persium exempla occurrunt, qvi testamentis caverunt, ut ederentur ad rogum munera.

§. 8. Omninò per vocabulum munus ludus intelligi debet gladiatorius. Videlicet ut habet Lazius Libr. X. cap. 13. Reip. Rom. *qvod iis tanqvam muneribus soleant homines capi, vel qvod necessariò Lanistæ ad hos ludos mortiq́ exponendos pugiles erant instructi.* Nam ut Martianus JCtꝰ in l. munus 214. ff. de verb. & rerum sign. testatur: *Munus propriè est, qvod necessariò subimus, Lege more imperiove, ejus qvi jubendi habet potestatem.* Lipsius idem fermè vult Libr. 1. Sat. c. 7. his verbis: *Nomine muneris veniebat Gladiatorius ludus, vel qvia gratis populo dabatur, vel ut Tertullianus ait, ab officio (Antiqvis officium dicebatur munus) qvia officium mortuis se facere arbitrabantur.* Hinc adjectiva munerarius a.um. iis omnibꝰ accommodabantur qvæ ad ludum gladiatorium pertinebant, ut munerarius Libellus. Et nomine substantivo, qvi edebat dicebatur Munerarius. Qvintilianus libr. 8. Augustum vocabuli hujus facit Autorem, cum antea Editores vel Domini ludorum vocarentur. Horum vocabulorum propria differentia saltem in generalitate & specialitate est sita. Editores cunctis ludis, Munerarii gladiatorio saltem præerant.

§. 9. Qvo tempore ille mos bustiariorum Gladiatorum

pene

penes Romanos invaluerit, disceptatur inter eruditos. Multi moveantur loco Svetonii cap. 26. ubi dicitur de Julio Cæsare: *Munus populo epulumq; in filiæ memoriam pronunciavit, qvod ante eum nemo.* Hoc Dio videtur confirmare: *Filiæ suæ & ferarum cædes & virorum pugnas exhibuit.*

§. 10. Cæsaris locum explicare tentem, illum fuisse primum qvi in fœminæ memoriam dedit munus, qvod ante eum non legimus. Legimus attamen sic in Valerio Maximo: *Gladiatorium, inqvit, munus primum Romæ datum est in foro boario, Ap. Claudio & M. Fulvio Coss: Dederunt M. & D. Bruti funebri memoriâ patris cineres honorando.* Epitome Liviana Libr. XVI. ponit D. Junium Brutum, qvi munus gladiatorium in defuncti Patris memoriam edidit primus. Qvid? qvod Dio Libr. 37. Hist. dicat: *Faustus Syllæ filius ludos gladiatorios in honorem Patris exhibuit, populumq; lauto convivio excepit.* Et Livius Libr. 1. Dec. 5. *Munera gladiatorum eo anno aliqvot parva data. Unum ante cætera insigne fuit T. Flaminii, qvi mortis causa Patris sui cum visceratione epuloq; & ludis Scenicis qvatriduum dedit.* Idem Libr. 3. Dec. 3. *Ludos funebres per triduum & gladiatorum paria duo & viginti in foro dederunt Ædiles Curules.* Item *ludi funebres eo anno per qvatriduum in foro mortis M. Valerii Lævini causâ à P. & M. filiis ejus facti: & munus gladiatorium datum ab iis, paria qvinq; & viginti pugnaverunt, inqvit Liv. Dec. 4. Libr. 1. in fin.* Certè id ante Julii tempora adhuc accidit.

§. 11. Huc usq; gladiatoria locum habebat solùm in Sacris. Ast, hominum qvid non tentat libido! Trahebatur è rogo ad profanos usus, qvem usum abusus profanabat. Bene Tertullianus: *Transiit, inqvit, hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viventium, qvæsturas, dico, & Magistratus & Flamina, & Sacerdotia.* Sic Ædiles, Prætores, Qvæstores, Consules, Sacerdotes, Ærarii & Imperatores dabant ludos. Hi (Imp.) ita freqventer, ut hoc eximium censuisse videantur inter munia Principatûs. Dabant enim Natali suo, dabant Qvinqvennalibus, Decennalibus, Vicesimalibus. Dabant in dedicatione publicorum operum, in Victoriâ & Triumpho, & per variam occasionem, à Præsidibus Proconsulibusqve; In Foro, in Amphitheatris, in Septis, Circis, Vicis & Regionibus.

§. 12. Ob eam causam multos habebant ludos, qvos nominibus propriis distingvebant: Ut Ludum Gallicum, Dacicum,

Magnum Mamertinum, Æmilium &c. Dicebantur hi ludi alio nomine Gymnasia, Batualia vulgò Battalia & Batualium ludicra; qvanqvam propriè Gymnasia pertinerent ad Athleticam. In hisce ludis reverâ poterant nominari Athletæ, Gladiatores descendentes in arenam. Tyrones non solum diligentissimè Lanistæ docenti auscultabant; Sed & calamo ea, qvæ audiebant, præcepta excipiebant. Juvenalis de futuro gladiatore:

Scripturus leges ad Regia verba Lanistæ.

§. 13. Ante pugnam moris, ut Editor libellos proponeret, in qvibus dies futuri muneris, item nomina & paria gladiatorum assignabantur. Id vocabant *pronunciare munus*, ut habet Svetonius in Julio. *Ostendere munus* ut Cicero. *Proponere Munus* ut Svetonius in Tito. Pingebant deinde habitum formamq; Gladiatorum in Tabellis. Hujus rei primum Autorem C. Terentium Lucanum Plinius facit libr. 35. cap. 7. Pingi, inqvit, *gladiatoria munera atq; in publico exponi cœpta à C. Terentio Lucano. Tabulamq; pictam in nemore Dianæ posuit. id. c. l. in fin.*

§. 14. Qvoad Spectatorum habitus notandum, ad funebre munus fuisse penulatos, Togatos ad voluptatem. In Editoribus notanda est prætexta. Et ex Dione discimus *cum Herculis honori constat ludos Gymnicos qvidem & Gladiatorios exhibitos, Imperatores vel Editores Leoninam pellem cum clavâ in procedendo præferri, & illis absentibus hæc insignia aureâ sellâ deponi voluisse.*

§. 15. Ut verò ad has pugnas animosi fierent gladiatores Victoribus palma & pecunia dabatur. Rude qvoq; donabantur Veterani, qvasi magisterii signo: Novi ob factum strenuum à Lanistâ vel Editore. Aliàs adhuc aliud genus rudium erat, Polybius μαχαίρας ξυλίνας dixit, qvod multi per sudes, sed falsò explicant. Auctorati rude donati redibant in Veterem prorsus libertatem nullo ultrà vinculo servitutis. Servi saltim accipiebant vacationem à pugnâ, proqve Lanistis deinceps erant.

§. 16. Cur igitur tantus Romæ Gladiatorum numerus & abusus hanc rationem invenio. Eqvites & Patricii Romani favorem populi ambientes certatim hos exhibebant ludos, qvibus efficacius medium inveniri haud poterat. *Scilicet cum id spectaculi*

tuli genus esset, ut Cicero habet, qvod omni freqventiâ atq; omni genere hominum celebrabatur, qvoq; multitudo maximè delectabatur. Inveniuntur plures statuæ ob præbitionem & exhibitionem munerum â populo positæ. Exinde M. Tullius in suo Consolatu legem tulit, ad ambitum reprimendum, *ne qvis daret Candidatus.*

§. 17. Cœterum & exinde facilè liqvet Maximus Gladiatorum Romæ numerus. Cæsar Ædilis CCCXX. paria dedit, *Autore Plutarcho.* Adrianus Cæsar Gladiatorum munus per sex dies continuos exhibuit, *narrante Spartiano*, ita ut Gladiatorum nonnunqvam qvingena paria exhiberet, nunqvam minus centenis qvinqvagenis. De Trajano Principe Auctor Dio: *Spectacula centum & viginti dierum edidit, in qvibus feras cicuresq; animantes, interdum mille, interdum ad decem millia interfecta sunt. Gladiatorum autem decem millia pugnarunt.*

§. 18. Sanè per hos abusus tota Resp. fluctuabat. Servili enim sangvine cuncti fermè erant. Scilicet malo genio servi vendebantur ad ludum. Captivi aut vendebantur ad ludum, aut dabantur ab Imperatoribus, postqvam in triumpho ducti. Qvidam damnabantur ad ludum, qvod dicebatur damnare ad gladium vel ferrum qvod unum idemqve. Nam apud probos Autores pro eodem ferrum & gladius usurpatur. Erat tamen alia adhuc gladii sive ferri pœna, qvæ non ad eam qvæ fit inter gladiatores decertationem, sed ad capitis amputationem pertinet. l. 10. C. Th. de petition. Et hæc non ita gravis ignominiosaqve habebatur habeturq; hodiè, qvam percussio securi facta. Horum damnatorum duplex erat conditio. Alii qvippe aliqvid facere poterant qvo se defenderent, i. e. liberari possent: Alii gladio consumendi erant. l. un. C. Th. ad leg. Fab. Et qvidem intra annum ut Paulus ait. Libr. 5. Sent. tit. 17.

§. 19. Non qvidem nego liberos homines etiam intrâsse ludum. Sed qvales, Seneca dicit epist. 100. *Aspice illos juvenes, qvos ex Nobilissimis domibus in arenam luxuria conjecit.* Qvibus se associarunt Eqvites, Senatores & Palatinâ dignitate prædití, præcipuè qvoq; milites. Erant namq; ξιφοφόροι, procellosi ut CASSIODORUS eos vocat, armaturæ periti, ac proinde prono faciliqve

ad

ad illud um transitu. Omnes Illi dicebantur *voluntarii* l. 2. C. Th. de gladiat: & alio nomine *Auctorati*.

§. 20. Ut verò de iis qvi seipsos vendebant Lanista posset esse securus, solenne juramentum ab iis exigebatur. Poeta illud hoc inclusit disticho:

Ure meum, si vis, flammâ caput &, pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.

In tria qvippe jurabant in ustionem, verbera, & necem. Necem patiebantur cum cecidissent & ferrum juberentur recipere. Flammam aut verbera, si qvando timidius pugnarent aut à ferro fugerent. Petronius Arbiter tale juramentum sic allegat: *In verba Eumolpi Sacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari ferroq; necari, & qvicqvid aliud Eumolpus jussisset, tanqvam legitimi gladiatores domino corpora animasq; religiosissimè addicimus.*

§. 21. Cum igitur ut supra dixi omnis Roma gladiatoribus scateret, nonne summi Principes optimè fecerunt, qvi invigilarent huic rei tàm dependitæ. Nam motus ciere cupientes ad se trahebant gladiatores. Sic Otho Imperator duo millia gladiatorum contra Vitellium armavit, *auctore Tacito*. Et de Gordiano legitur, eum mille paria Fiscalium habuisse Gladiatorum. Numerus definiebatur supra qvem haud licebat in urbe habere Gladiatores, ut refert *Sveton. cap. 10. de Ædilitate Cæsaris*. Augustus cavit ne gladiatores sæpius qvam bis anno darentur, nec plurium qvam sexaginta parium. Idem edicto fecit Tiberius, postea à Caligula discisso, qvo permittente etiam supra numerum definitum licuit cunctis edere gladiatores. Antoninus Pius & Marcus Aurelius Philosophus omnifariam, ut *Capitolinus* ait, ludos temperârunt, vel gladiatorii muneris sumptus fecerunt. Marcus Imperator nemini Gladiatorum ferrum acutum commisit, sed obtusis, & velut orbicularis gladiis omnes pugnabant in morem Athletarum absq; vitæ periculo *ut Dio vult*. Ubi è contrario Drusus ille crudelis Imperator acutissimos exegit, eodem Auctore.

§. 22. Sed qvid proficiebant? Romani opibus aucti planè in deterius vergebant. Nicolaus Damascenus Peripateticus hist. 110. de Romanis scribit: *Gladiatorum spectacula non in conventi-*

bus

bus aut theatris Romani exhibebant ; verum etiam in privatis conviviis. Multi siqvidem sæpius amicos ad cœnam invitarunt, cum a'iis de causis, tum ut duo vel tria gladiatorum paria cernerent. Postea cum vino jam & cibo saturi essent, gladiatores intrò advocabant, qvi dum alter eorum jugulatur, qvasi magnoperè delectati applaudebant. Qvi mos haud dubiè è Campanis ad Romanos fluxit. Persvadet hoc Silius Libr. XI. Bell. Pun.

Qvin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira.
Certandum ferro, sæpè & super ipsa cadentûm
Pocula respersis non parco sangvine mensis.

Omnem planè dubitandi scrupulum removet Strabo libr. 5. de iisdem: *Eò luxus provecti sunt, ut convivas vocarent ad paria gladiatorum, qvorum numerum augebant minuebantve pro dignitate cujusq; convivii; Et hos imitati sunt Romani, permansitq; illis consvetudo ad extrema usq; Imperii tempora.* Hi CONVIVIALES GLADIATORES alio nomine vocabantur CUBICULARII, ut annotat Lampridius in Commodo.

§. 23. Sic Gladiatoria ad usus publicos introducta privatis contaminabatur facinoribus & abusu; Usqve adeò ut privatus testamento qvidam reliqverit, ut formosissimæ mulieres, qvas possidebat, digladiarentur: Alius impuberes pueros, qvi illum amaverant, huic sorti exposuit. Statius eleganter de fœminis canit gladiatricibus in Domitiani ludis, sub qvo horrendè hic mos floruit:

Hos inter fremitus novosq; lusus
Stat sexus nudus insciusq; ferri
Et pugnas capit improbus viriles,
Credas ad Tanaim ferumq; Phasin
Thermodontiacas calere turmas,

Hic mos, liceat divinare, ex Agonist. Fabri Libr. 1. c. 4 ex Græcia agonibus traductus fuit. Ejus verba hæc: *In aliis itidem antiqvæ*

 Græciæ

Græcia agonibus concessa fœminis qvoq; ipsis præmia sciendum est. Nam illis omnes exercitationes præter saltus in Olympicis fuisse concessas, docet Plutarch: ex Lycurg. Apophth. Lacon. p. m. 404. Non solum autem communes fœminæ Gladiatoriæ adhibebantur; Sed & prænobiles, asserente Tacito Libr. 15. Ann. *Fœminarum Senatorumq; illustrium plures per arenam fœdatæ sunt.*

§. 24. Qvo tempore pessima hæc consvetudo irrepserit haud facile est conjectu. Lazius Libr. X. Re p. Rom. cap. 13. Domitium tales fœminas instituisse ex hisce Tranqvilli verbis elicere contendit: *Nam Venationes Gladiatoresq; noctibus ad lychnuchos, nec virorum modò pugnas, sed & fœminarum.* Verum Taciti locus supra citatus omnino obstat. Ego temporibus Neronianis primum id accidisse conjicio duravitq; hic mos usq; ad Imperatorem Severum, qvi ultimus tale spectaculum exhibuit. *Iste in certamine* inqvit Hyppolitus à Collibus de increm: urb. c. 19. *cum mulieres crudelissimè pugnassent, essentq; ob eam causam cæteras nobilissimas fœminas convitiis insectatæ, cautum est imposterum, ne qva mulier gladiatorio munere fungeretur.*

§. 25. Cæterum duplex erat gladiatorum Spectaculum: *Matutinum* & *Meridianum*. Manè cum bestiis pugnabant, post meridiem verò ii, qvi superfuerant inter sese, & Meridiani gladiatores appellabantur. De horũ miserrimâ conditione legitur qvod nõ docti factiq; ad pugnam nec armis vel arte in eâ instructi fuerint. Vellem id potius credere de matutinis, qvi cum bestiis, qvam Meridianis qvi cum hominibus pugnabant. sed obstat Lipsius Libr. 2. Sat. 15. *Meridiani, inqvit, non inter veros legitimosq; Gladiatores sine armis, sine arte & seminudi certabant.*

§. 26. Ego æqvè hos ac illos à veris gladiatoribus removeo. Ratio: qvia necessarium gladiatoris reqvisitum artificiosè pugnare scire. Ad hoc me qvoq; inducit Philologia vocabuli Lanistæ. Etenim illi fuerunt homines qvi gladiatorum familias habebant venales, *eosq; ligladiari docebant*, ut vult Britannicus ad Juvenal: Sat. 3. Et Gruterus ad Senec. Libr. 6. de benef. c. 12. *Lanistæ fuerunt non solùm qvi non nunqvam ipsi rude pileoq; impetratis è gladiatorio ludo emissi tirones in ludo erudiebant, sed etiam qvi futuros gladiatores aut exposititios pueros huic rei emebant, ludoq; & muneribus destinatos alebant,*

penesq;

penesq; se habebant curatâq; diligentiâ ad pugnam condocefaciebant. Hinc hisce verbis Lipsi, Libr. 1. Sat. c. 15. Prudentium notat, qvod parum propriè, imò imperitè vocabulo Lanistæ pro gladiatoribus usurpet.

§. 27. Reliqvos Gladiatores pro veris solùm agnosco, qvorum Species passim Lipsius Libr. 2. Sat. enarrat. Scilicet SECUTORES, qvi dicebantur ab inseqvendo Retiarium. Arma ejus describit Isidorus *Gestabat cuspidem & massam plumbeam qva adversarii jaculum impediret, ut anteqvam feriretrete, iste superaret.* Qvæ armatura Vulcano Sacra erat. RETIARIOS, qvi cum Secutoribus plerumq; committebantur. Audi rursus Isidorum hos describentem: *Retiarius qvi contra alterum pugnantem occultè ferebat rete, qvod jaculum appellatur, ut adversarium cuspide insistentem operiret, implicitumq; viribus superaret.* Hæc armatura pugnabat, Neptuno tridentis causâ. Et talismodi gladiator jam fuit olim in Græciæ ludis tempore Pittaci, ut habet Strabo Libr. 13. Juvenalis eleganter describit Retiarium, qvem vide Sat. 8. THRECES â similitudine parmularum Threciarum sic dictos. MYRMILLONES, qvi toti erant armati. Vel HOPLOMACHOS & SAMNITES, qvi haud diversi videntur Lipsio. Prius vocabulum apud Græcos pro qvovis gladiatore apud Romanos pro certâ specie sumitur. Samnites dicebantur, qvia habitu Samnitum pugnabant. ESSEDARIOS, qvi pugnabant ex essedo. ANDABATAS, qvi pugnabant ex eqvis, sed clausis galeâ oculis; Inde Andabatæ pro cæcis in proverbio accipiuntur. DIMACHÆROS, qvi duobus gladiis, vel LAQVEARIOS, qvi gladio & laqveo pugnabant. PISCINENSES, qvi in piscinis exercebantur atq; pugnabant. *Erat enim piscina Romæ publica, ad qvam natatum & exercitationis causâ veniebant. Lazius L. X. Reip. R. c. 23.* RUDIARIOS qvi rudibus vel virgis batuebant.

§. 28. Fuerunt & adhuc alia gladiatorum nomina & species. Fiscales scilicet l. Cæsariani, Postulacii, Catervarii, Consummati, Ordinarii de qvibus vide sis prolixè Lipsium Libr. 2. Sat. c. 16. 17.

§. 29. Cum igitur nullus modus rei tam deperditæ adhiberi posset, qvin potius magis magisq; pejores ageret radices, ex morataq; gente propter abusus tyrannicam redderet, planè ex-

 scinden-

scindenda erat. Spectatores namq; pollicem amplius nolebant premere, qvod auspicatum, sed illum convertebant qvod exitiale erat gladiatoribus. Nec obstabat J. Cæsaris jussus, de qvo Svetonius in ejus vitâ hoc laudat cap. 26. *Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos servandosq; mandabat.* Nec Cæsaris Edictum, *qvo vetuit Gladiatores sine missione edere. Svet.* in Aug. c. 45. Missio autem erat exoratio vitæ vel â populo vel â Principe. Crudelissimè agebant, ut docet Lactantius: *Qvin etiam percussos jacentesq; repeti jubent & cadavera ictibus dissipari, ne qvis illos simulatâ morte deludat.* Manum qvandoq; vulneribus immittebant sangvinemq; potionis instar hauriebant, an ideò ut morbis comitialibus solverentur, uti vult Plin: N. H. L. 28. c. 1. an aliâ de causâ non discutio.

§. 30. Exscindenda omninò erat Gladiatoria, qvæ tantum â primo instituto defecerat. Ab initio gladiatoriæ studium solum ad instituendos juvenes in arte bellicâ institutum erat. Discimus id ex Isidoro, dum inqvit: *Ludus gladiatorius inde dictus, qvod in eo juvenes armorum usum condiscant.* Et ad virtutem ostendendam, qvod dijudicatur ex Livii Dec. 3. Libr. 8. ubi inqvit: *Scipio Carthaginem ad vota solvenda diis munusq; gladiatorium, qvod mortis causâ patris patruiq; paraverat edendum, rediit. Gladiatorium Spectaculum fuit non ex cõgenere hominum, ex qvo Lanistis comparare mos est, servorum delectu ac libertorum, qvi venalem sangvinem habent. Voluntaria omnis ac gratuita opera pugnantium fuit. Nam alii missi sunt ab Regulis ad specimen insitæ gentis virtutis ostendendum, alii ipsi professi se pugnaturos in gratiam ducis, alios æmulatio & certamen, ut provocarent, provocatiq; haud abnuerent, traxit.* Sed jam propter abusum tempestate Cæsaris vilescere cœperat, *qvi tyrones neq; in ludo neq; per Lanistas, sed in domibus per eqvites Romanos ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat ut scribit Svetonius* in ejus vitâ c. 26. Lipsius Libr. 1. Sat. c. 15. *Lanistæ, dicit, honestiori & invidendo vocabulo Doctores apud Valer. Max L. 2.* dicuntur. Scilicet tum temporis adhuc honorandi & tolerandi erant, qvùm ad arma juventutem informarent. Vocabantur & absolutè τεχνῖται, artifices ap. incertum Autorem Panegyrici ad Constantinum cap. 19. in fin. ut habet Gudofr. in C. Th. h. t.

§. 31. Vi-

§. 31. Videamus jam abrogationem. A diversis Autoribus diversis illa Imperatoribus adſcribitur. Lipſius 1. Sat. c. 12. totus in eo eſt, qvi unicè Conſtantino hanc laudem tribuat, repudieratq; Zonaram, qvi Nervam nominat. Hæc ejus verba ſunt. *Is primus Romanorum Principum Gladiatoria ſpectacula è toto orbe Romano ſubmovit, anno ab U. C. MLXVII. penè ſexcentis poſt inſtituta ea annis.* Allegat in ſuam ſententiam Sozomenum Libr. 1. c. 8. p. 413. verſ. Tunc primum Spectaculum gladiatorum vetitum eſt. & Euſebium Libr. 4. de vitâ Conſtantini. c. 25. p. 161. *Item Socratem L. 1. c. 14. p. 219.* Ego huic opinioni qvin adſtipuler validiſſimis me movet rationibus Godofredus ad l. 1. C. Th. de glad.

§. 32. Legem huc adſcribamus:

Conſtantinus A. Maximo Pf. P.

Cruenta ſpectacula in otio Civili & domeſticâ qviete non placent: Qvapropter omninò gladiatores eſſe prohibemus; PP. Beryto. Kalend. Octobr. Paulino & Juliano Coſſ. (325.)

§. 33. Eleganter hic Godofredus: *Conſtantinus Magnus gladiatorium ludum prohibuit, non qvidem per totum orbem (qvod vulgò traditum) ſeu è Rep. Chriſtianâ. Verum in Oriente, ac nominatim per Phœnicen Beryti, qvi inter initia Imperii ludum hunc non ludum tulerat.* Hæc hujus legis explicatio non ſaltem eſt contra Lipſii locum ſupr. cit. & Baronium ſub Anno 395. num. 19. 26. & Petitum 3. obſ. 7. p. 343. 344. Sed etiam contra Barnab. Briſſonium in Comment. ad Leg. Dominico C. Th. de ſpectaculis & L. omnes dies C. de feriis p. m. 370. Ubi ſic loqvitur: *Poſt Conſtantini tamen obitum in uſum revocata gladiatoria ſpectacula, indicio eſt, Conſtantii A. & Juliani Cæſ. ad Orfitum Urbis præfectum, relata in l. 2. C. Th. de gladiatoribus Conſtitutio, qvâ munerarios prohibent, auctoratos militiæ vel Palatinâ dignitate præditos in ludum producere, multâ propoſitâ iis qvi contra tentaverint. Ex qvo colligitur, ad gladiatorium ludum alias perſonas impunè licitoq; jure vocatas fuiſſe.* Huc usq; ille. Debuiſſet Briſſonius cum aliis probè evincere abrogatos fuiſſe Romæ gladiatores, qvod tamen nunqvam poterit. Nihil qvippe in uſum poteſt revocari qvod non eſt abrogatum, vel per qvoddam tempus

intermissam. Ecce enim qvatuor post hanc legem annis An. D. 328. Antiochiæ ejusmodi ludi sunt habiti uti testis Libavius Antiochenus in Vit. Const. p. 3. Romæ qvoq; deinceps stetit munus ludiqve pœna, uti docet exertè Honorii l. 3. dicto C. Th. h. t. & Valentiniani l. 8. & 11. C. Th. de pœn.

§. 34. Ex qvibus sat liqvet, non ubiq; gladiatores à Constantino M. sublatos, imò neq; Romæ sublatos, sed in Oriente tantùm. Nec unqvam potest probari post Constantinum ante Honorium, ullum gladiatorios ludos Romæ vetuisse. Neq; etiam Theodosium M. qvicqvid garriat Baronius ex Martyrologio Romano. Prudentio magis hîc fides habenda, qvi disertis verbis post Polentinam de Gothis victoriam, qvam proseqvitur, qvæq; congruit Anno 403. scribens ait: *Theodosium cum Romæ ludos gladiatorios non sustulisset, locum istum meriti vacuum filio Honorio reliqvisse, servasse.*

§. 35. Tandem igitur Romæ qvoq; sublati (sed non ante annum D. 404.) ab Honorio Imperatore gladiatores, occasione Telemachi alicujus Monachi, qvem lapidaverant cum abhortaretur ut habet Theodoret. L. 5. Hist. Eccles. cap. 26. & Cassiod. Libr. X. c. 2. Non illâ priori l. 3. C. Th. h. t. sc. Anno D. 397. facta constitutione, qvâ is gladiatores ad servitia senatoria transire vetuit; sed illâ alterâ & tempore posteriori, qvâ Gladiatores in totum Româ pepulit. Quæ illa constitutio est, cujus meminit Theodoretus Libr. 5. cap. 26. Nam in priori scilicet l. 3. C. Th. h. t. nulla continetur gladiatorum ejectio, imò potius contrarium illos adhuc ibi fuisse, & ludum adhuc gladiatorium stetisse apertè indicat; è qvô non prohibiti fugerint, verum qvo stante ultrò scilicet transierint. *Id enim est ex aliqvo loco, sive ordine, in alium se conferre ut loqvitur Godofr. ad h. t.*

§. 36. Causam ejectionis non do annonæ charitatem. Nempe moris itæ Romæ fuisse, ut ad formidatam alimentorum inopiam, tum peregrini, tum otiosa turba omnis ab urbe præcipites pellerentur, de qvo more vide Ammian. Marcell. Libr. 14. p. 15. Verum ut ita omnis Reipublicæ turbatio, tantaq; sangvinis peccata, christianis omninò indigna evitarentur. Hactenus

felici

felici auspicio in exilium acta Romanorum pessimo abusu depravata gladiatoriæ consvetudo.

§. 37. Ne vero cogar omnem digladiandi peritiam insimul fuisse eradicatam concedere, divido eam in *legitimam*, & *Illegitimam*. Non ratione finis, sed ratione mediorum hæc ab illa differt. Finis utriusqve unus idemqve; Scilet homines bellis gerendis idoneos facere.

§. 38. Legitimam nomino, qvæ non necem, verùm victoriam solùm spectabat. Et hæc propriè pertinet ad Athleticam. Benè hic Perez. ad h.t. numero 2. *Addit textus d. l. uncruentum, qvia non omnem gladiatorium ludum sublatum fuisse arbitror: Nam etiam olim prout hodiè fuêre gladiatores, qvi juventutem instruebant gladiis fictis, iisq; varios modos ostendebant, vitandi, atq; inferendi ictûs, virtutem arti, & rursus artem virtuti miscendo, qvos aptiores cautioresqve militiæ redderent.* An verò hæc finem potuerint asseqvi, afferam paulò pòst acturus de fine Athleticæ. *Illegitimam* dico qvæ victoriam cum nece adversarii conjunctam habuit, qvi qvidem mos qvibusdam satis Politicus sed parum Christianus est, multoq; validior (haud negò) fuit ad finem acqvirendum. *Ego, verba sunt Lipsii Libr. 2. Sat. c. 25. multas à Legislatoribus meditationes Gymnasiaq; instituta scio ad fortitudinem nullum efficacius istô. Gladiatoriæ finis non voluptas; Sed militiam modò & fortitudinem spectârunt. Vivis sic exemplis monebantur fortiter agere, fortiter pati.* Et omninò ita esse persvadet primo hoc Ciceronis Tusc. 2. judicium: *Crudele gladiatorium spectaculum & inhumanum nonnullis videri solet, & haud scio, an ita sit, ut nunc fit. Cum verò sontes ferro depugnabant auribus fortasse multa, oculis qvidem nulla fortior poterat esse contra dolorem & mortem disciplina.* Deinde Plinii in Panegyr. in Vit. Maxim. & Balbini: *Visum est spectaculum inde non enerve, nec fluxum, nec qvod animos virorum molliret ac frangeret; Sed qvod ad pulchra vulnera contemptumq; mortis accenderet, cum in servorum etiam noxiorumq; corporibus amor laudis & cupido victoriæ cerneretur.* Tertiò Capitolini, dicentis, *qvod Imperatores ad bellum proficiscentes munus gladiatorium dederint. Ituros scilicet ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudos inter se coeuntes; ne dimicantes in bello armatos hostes timerent aut sangvinem pertimescerent.*

§ 39.

§. 39. Hac occasione qværo, an omnis Gladiatoria, qvam suprà illicitam, nominavi, eaqve tam in otio civili, qvam illa, qvæ olim sub belli gerendi tempus edi solita comprehensa abrogataq; sit l. 1. C. Th. h. t. Faber Libr. 2. Semestr. c. 10. legem explicat solum & speciatim de muneribus gladiatoriis editis tempore sagatô. Qvem tn. Godofr. in Comment ad h. l. refutat. *Hac constitutione, inqvit, qvocunq; tandem pacis vel otii tempore, & qvacunq; gladiator a spectacula damnentur. Vice versa bellica spectacula cruenta non displicere sibi is innuit. Hæc hujus rationis sententia videtur. Nempe Constantinus gladiatores rebus pacatis esse vetuit, in otio Civili & domesticâ qviete* ad differentiam barbarorum s. hostium bello captorum, qvi ut feris etiam objiciebantur, ita & ad gladiatorium ludum dabantur

§. 40. Ergò voluit Constantinus, ut pax s. otium Civile ac domestica qvies â bello, & civis decerneretur ab hoste. Cui sententiæ & ego subscribo, ac Tantum de Gladiatoria.

TRACTATIO
Tituli C.
De Athletis.

§. 1.

MAgnum olim Athletarum in Sacris Antiqvæ Græciæ certaminibus nomen. Magna eorum Solemnia in qvadruplici ludorum specie. Nam

Qvatuor antiqvos celebravit Achaja ludos.

Adsit Statius, nobisqve illorum dicat ordinem. Præstò est. OLYMPIIS posterius PYTHIOS, his ISTHMIOS & postremò NEMÆOS enumerat. Primas obtinent Olympici, qvia celeberrimi, qvia universum suâ, suô tempore, famâ & gloria orbem compleverant. Ardes cunctos perlustrare? Haud opus: Cuncta spectatu digna Olympicum dabit stadium.

§. 2. Unica hæc reperitur differentia Olympicorum â Pythicis aliisqve agonibus, qvod in illis soli Eqvestres & Gymnici darentur, in his Gymnicos ludos Musici præcederent. Ita docet

Philo-

Philostratus Libr. 6. in vit: Apollon: Nisi qvod Nero primus apud Olympiam etiam certamen Musicum instituerit. Fab. L. I. Agon. c. 25. in marg Locum nobis Strabo Libr. 8. Geogr. sic describit: *In Pisæo agro templum est, stadiis non omnino CCC. ab Elide situm: ante id jacet lucus, oleastris consitus, in qvo est stadium.* In hoc stadio qvinta qvavis æstate hi ludi habebantur, in honorem Jovis Olympici, hinc horum ludorum denominatio.

§. 3. Percelebre sanè Templum Jovis Olympici ibi comprehendebat simulacrum, inter septem mundi miracula celebre. Phidias hoc formaverat ex auro, an solido, an ebur aut gypsum addiderit, non curo.

§. 4. A qvo & qvâ occasione sacer hic ludus sit institutus videbo. Plinius Libr. 7. N. H. cap. 56. Herculem Olympia Athleticam instituisse tradit. Diodorus Siculus Libr. 4. Bibl. pulcherrima hæc habet verba: *Cum Argonautæ in suam qvisq; Patriam reditum adornarent, Herculem hoc consilii subjecisse ferunt, ut ad mutuum ferenda auxilia juramento se obstringerent, si qvando (ut inopinatæ sunt fortunæ vices) aliqvis cæterorum ope indigeret, nobilissimum etiam Græciæ locum ad solemnium editionem ludorum, & communem omnium Græcorum conventum; deligerent, eumq; Jovi Olympio Deorum maximo dedicarent. Cum igitur optimates in societatem hanc bellicam conjurassent, & ludorum institutionem permisissent Herculi; ipse præ aliis Eleorum campos ad Alpheum Panegyricis solennitatibus destinavit; totamq; regionem Jovi Maximo consecratam, Olympiam ab eo nominavit. Tum Eqvestri & Gymnico certamine instituto præmiisq; ordinatis, Theoros, qvi ludorum spectacula civitatibus indicerent, divisit &c.* Pausanias qvamvis multò rem aliter recenseat Eliacis Libr. 1.

§. 5. Multi qvidem hunc honorem Herculi derogant, & substituunt, vel ignotum qvendam Pisum, vel Pelopem, vel Pelopis filios Atreum & Thyestem. Cur non etiam Oenomaum, Pelopis, ope Myrtilli, generum. Nam & hic curule Certamen habuit. Sed esto! instituerint prima rudimenta. Suus attamen honos Herculi, qvi ad perfectionem hoc opus deduxit solusqve Athleticâ exornavit manet.

§. 6. Facile huc usq; mihi Herculi attribuisse inventionem Olympicorum certaminum. Herculeus jam erit labor, cui verè

id competat Herculi, explanare. Meherclè meltiendo nominum Herculeorum Lernæam hydram qvadringentis qvatuor constantem capitibus, constituere videtur: Tot Varro Hercules collegit. Plutarchus *unicum* saltem facit in Libro περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας. Herodotus *duos* in Euterpe. *Tres* Diodorus Sic Libr. 3. Bibl. in fin. Cicero Libr. 3. De Nat. Deorum *Sex* numerat. Accedo sententiæ Diodori cum Petro Fabro. Illius primus & antiqvissimus Hercules nominatur *Ægyptius*, qvi columnam in Africa posuit. *Tertius* Thebanus Alcmenæ filius, paulò ante Trojani belli tempora Euristhæi præceptis obtemperans, magnam orbis partem peragravit, victorqve plurimis agonibus columnam qvæ in Europâ est, statuit. *Secundus Cretensis*, unus ex Idæis Dactylis rei militaris peritissimus Agonem Olympicum constituit. Tertii tamen, tùm nominis cùm virtutum similitudo cum prioribus, persvasit hominibus, ac si unus ab ultimo seculo tantum extitisset Hercules. *Ergo facilè aliqvando Alcmenæ filius pro ludorum Gymnicorum inventore potuit substitui.* Fab. l. 1. Ag. c. 17.

§. 7. In Isthmo prope Corinthum loco Theseus ludos Gymnicos instituit, cum ante Theseum non spectaculum & celebritas publica, sed initia potius atq; mysteria censerentur. Et hæc Sacra erant Neptuno. *Instituit verò Herculis imitatione; ut loqvitur Plutarchus in Theseo, ut sicut in illius memoriam Jovi Olympia, ita Isthmia Neptuno Græci in honorem suum agerent.* Pythicus Agon Apollini erat Sacer, & hunc Apollini dedicavit Diomedes. Qvorundam hîc notetur opinio, Pythonem oppidum in Delphorum territorio fuisse, in qvo celebratus sit hic agon. Plurimi in memoriam Pythonis serpentis ab Apolline interfecti eum autumant institutum.

§. 8. De Nemæis pro explorato ac certo habent omnes, qvi de Gymnicis atq; lustralibus ludis hactenus scripsere, tum ab Hercule institutos, tum Jovi sacros fuisse. Nemæam verò inter Cleonas & Phlyuntem lucum fuisse, in qvo Argivi pro more Nemæa celebrarent uti à Strabone Libr. 8. Geogr. traditur.

§ 9. Nunc mihi recensenda præcipua exercitia in Sacris agonibus usitata, qvæ Simonides Epigr. ult Libr. 1. c. 1. ferè hoc includit versu.

Ἴσθμια

Ἴσθμια καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα:

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Ex Alciati versione:

Isthmia Philonis Diophon & Pythia vicit:

Et cursu, & jaculo, Saltibus, orbe, pale.

§. 10. Omissum τῆς πυγμῆς li. e. pugillatus agon vel carminis vel memoriæ vitio; Vel qvod longè hic post cæteros agonas institutus; qvod ex Pausan. Eliac. 1. disco. *Scilicet tertiâ & vicesimâ Olympiade: cujus prima præmia Onomastus è Smyrna conseqvutus est. Adeo qvidem illa cruenta, ut ictis cestibus pugiles, si non animam in ipsâ pugnâ efflarent aut agerent, confractis certe ossibus aut luxatis, præter deformatum vibicibus vultum debiles efficerentur sæpè ac mutili.* Faber Libr. 1. Ag. c. 7.

§. 11. Nec mentio fit Pancratii. Pancratium verò erat luctæ species & dicebatur lucta volutatoria, ut monet Mercurialis cap. 8. Libr. 2. artis gymn. Duplex ibi habe Pancratium, unum ex lucta & pugillatu compositum, alterum Volutalorium *sunt tamen qvi Pancratiastas pro pentathlis intelligi volunt, i. e. qvi qvinq; illa antiqva certamina Græciæ obierunt & vicerunt:* Qva in sententia est Hermolaus Barbarus Libr. 34. emendat. Græci namq; hos suâ Lingvâ appellare solebant παγκρατιάζοντας παντῶν κρατοῦντας. Lazius Libr. X. Reip. Rom. c. 13.

§. 12. Lazius hîc communem errat errorem cum Gvil. Budæo alias in Philologiâ Græcâ viro doctissimo, si intelligit pentathlum fuisse qvi uno die qvinq; illa certamina obierit & vicerit. Sanè nec Herculi hoc possibile fuit. Ego cum Fabro & Aristot: L. 1. Rhetor. c. 5. per pentathlum intelligo, qvi omnibus Agonum speciebus dedit operam. Alexander Macedo abominabatur Pancratium & Pugillatum, qvi tamen reliqva certamina non modò non respuebat, sed etiam edi jubebat, ut Plutarchus in ejus vitâ habet. Utrumqve Vetustis Lacedæmoniis etiam fuisse interdictum perhibet Faber libr. 1, Ag. c. 9. Credo, qvia tales Athletæ facilè ad militiam inutiles reddebantur. Prodiit Pancra-

tium Olympiade XXXII. ut habet Excell. Strauch. in sua de Olympico Agone dissertatione Chronologicâ hîc 1661. habitâ. Pentathlum v. XIIX. Olympiade restitutum (vel ut aliqvi volunt planè novum) ex Pausaniâ colligitur. Ex his Agonibus Gymnicis qvidam leviores, Cursus & Saltus; Graviores alii, Lucta, Pancratium, Pugillatus. Leviores ante Solis exortum, Graviores horis pomeridianis exhiberi soliti. Victoribus Levioribus meridie, Gravioribus vesperi dabatur corona. Fab. Libr. 1. Ag. c. 30.

§. 13. Inter ipsos Gymnicos agonistas honos aliqvantò major habitus apud Olympiam cursoribus, qvi militibus inutilis existimatus à Lacedæmoniis & à Diogene improbatur, non tamen à Platone. Cursui Simplici qvando additus δίαυλος, Pausanias Eliacis 1. docet: *Olympiade inqvit qvartâ decima additus est duplicati stadii cursus, è qvo acceptâ coronâ ex Oleastro, Victor discessit Hypenus Pisæus.* Manifestum est, qvod qvantum continuatas Olympiades hominum memoria conseqvi potest cursus primum certamen institutum est, in qvo vicit Eleas Corœbus. Idem cit. loc.

§. 14. Lucta subseqvitur, & qvidem non Volutatoria, illa etenim Pancratium erat ut supra dixi, sed Erecta, qvæ stantium. In Luctæ certamine dejectus atq; humo afflictus, ex ipsâ certaminis illius lege vincebatur, nec porrò vinceret, nisi qvi adversarium prius dejecisset. Qvamvis in Pancratio dejectus ita adversarium urgere potuisset, ut victum se fateri cogeret. Nempe Pancratiastarum ex arte id fuit, ut superaturus adversarium secum attrahere ipsum niteretur; seqve ipsi spontè ac deditâ opera ille decidens supponeret, uti ex Plutarcho est discere. Notanda hîc & alia differentia scilicet qvod Pancratiastæ ut pugiles in pulvere, non in luto sicuti Luctatores Simplices certarint. Attamen invenio loca ubi in pulvere qvoq; Luctatores certarunt, præsertim apud Philostratum Libr. 2. in Arrichione.

§. 15. Cœterum tam in Lucta qvam aliis decertationibus agonistas tertiâ qvaq; commissione Victoriam & coronam simul consecutos certû est. Credo exinde ad nostros pervenisse an bono an malo seculi disputatur more cõsvetudo: sich drey Gänge schlagen. De

lucta

luctaʃ intermissâ verum revocatâ Olympiade XVIII. cum qvinqvertio vid. Pausan. L. 1. Eliac.

§. 16. Disci exercitium nihil memoratu dignum infert. Omne cognoscitur ex Johan: Bisselii Ruinar. Illustr. Dec. III. Ruin. Timanth. annot. verbis: *Molem scilicet fuisse planæ rotundæq; figuræ ad similitudinem lancis seu paropsidis, qvam figuram ac magnitudinis mensuram opticam cum Solis etiam aspectus rusticorum oculis & idiotarum æstimationi, ingerat. Mos obtinuit Græcorum, ut & Sol ipse non ἥλιος tantùm, sed & δίσκος diceretur. Qvanto magis & orbiculati abaci ac mensæ? Unde Germanis hodieq; mensa seu τράπεζα,* Disch/ oder Tisch *appellatur. Porrò qvi juvenum in Olympico certamine discum, (qvi vel Saxeus erat, vel stanneus, plumbeusve, vel ferreus) aut altius in aërem, aut longinqvius ultra metam manu projecisset: Victor è disco discedebat. Hactenus Bisselius.*

§. 17. Præcipua explicavi Exercitiorum Olympicorum. Jam ad personas. Personæ ad Sacra certamina præcipuè Olympica non admittebantur Serviles vel ulla vitæ infamiâ adspersi. Aliàs uterqve Sexus omnisqve gradus ætatis homines certare poterant. Diverso attamen loco, diversaq; præmia conseqvebantur, & Victor puer, non poterat expectare præmium Victoris Viri. Chrysostomus hom. 61. ad pop. Antioch: dicit: *postqvam decertaturus à Præcone circumductus esset per stadium, exclamasse: Num fur est & Servus? Num pravorum est morum?* Hujus rei etiam fecit mentionem Dionys. Halic. ἐν τέχνῃ περὶ τρεπτικῷ ἀθληταῖς in fin.

§. 18. Interea sciendum ante circumductionem illam & præconis denunciationem, atq; adeò ante probationem & examen Athletarum, ipsos Eleos judices Hellanodicas hac de re Athletas admonuisse, cum in Olympiam procederent, ut si qvis eorum sibi conscius foret præclarè actæ sine ullâ infamiâ & desidiâ vitæ, impensiq; in rem Athleticam laboris, hic ad certandum audenter accederet. Sin contra qvispiam indignum aliqvid, seq; atq; Olympiorum accessu forsitan egisset, is abiret aliò, qvo vellet, qvod ex Philostrati Libr. 5. de Apollonio cognoscitur. *Postea verò manum in altum sublatam (silentii nempe faciundi gratiâ) imponens Præco Athletæ depugnaturi capiti, eumq; circumducens qværebat publicè, non utrum sibi ipse ullius esset malè noxiæ conscius; Sed amplo boatu proclamabat,*

bus, esset ne qvispiam, qvi vellet in eum dicere, *ut Faber Libr.* 3. Ag. c. 12. id notat eleganter.

§. 19. Pulcherrimè hunc actum etiam describit Joh. Cassianus XII. Libr. 5. monast. instit. *Cumq; diligenter examinatus qvi primum repertus fuerit nullâ vitæ infamiâ adspersus. Deinde non servitutis jugo ignobilis, & ob hoc indignus disciplina hâc vel congressu eorum, qvi hanc profitentur fuerit judicatus. Tertio si artis, si fortitudinis digna proferat documenta, & junioribus coævisq; decertans peritiam pariter ac virtutem suæ demonstraverit juventutis: Ac proficiens de Epheborum certamine, perfectis jam viris & experientiâ longâ probatis congredi permissus fuerit præsidentis examineq; non solùm parem virtuti eorum assiduâ colluctatione probaverit: Verum etiam freqventer inter hos qvoq; Victoriæ palmam fuerit consecutus: Tùm demum ad agonis præclara certamina merebitur pervenire, in qvibus non nisi victoribus tantum, & his qvi multarum coronarum stipendiis decorati sunt facultas conceditur decertandi.* Huc usq; ille. Non igitur statim & qvasi illotis manibus ad hæc sacra certamina admittebantur. Sed proagonas facere cogebantur, ad minimum per decem menses continuos, ante justum de coronâ certamen, Faber L. 3. Ag. c. 11. & hoc tempore multa patiebantur abstinentiâ, labore & castitate. Inde Horatius in Arte Poëtica:

Qvi cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitq; puer, sudavit & alsit,
Abstinuit Venere & Vino.

§. 20. Certabant autem nudi ex lege aut more Herculis, qvi nudus: Sed ita ut pudor & Honor oculis servaretur: Non sine subligaculo igitur; qvi mos corporis nudandi Olympiade XV. fuit introductus. Antea vero turpe habebatur apud omnes Græcos totum corpus in certaminibus nudare. Dion: Halic. Ant. Rom. L. 7. c. 67. De jaculatoribus tamen habetur, qvod vestiti, ut & Discobolis, qvod tunicati decertarint.

§. 21. Omnes deniq; certantes obstricti erant juramento, qvod vellent leges Athleticas observare. Has leges regulasq; Amorum Leges nominare Majoribus placuit ut prohibet Faber 1. Ag. 21. Eustathius Amorem Mercurio & Herculi, sed honestum & gravem scilicet, in Gymnasiis adjunctum refert: Uni qvi-

qvidem rationis, alteri roboris Præsidi: Qvibus permixtis amor & concordia gignitur.

§. 22. Et illi Athletæ qvi exercendo sese contrà morem Agonisticum aliqvid admisissent peccassentq;, castigabantur, verberibusq; pœnas dabant, ut Dio Chrysostomus docet. Non autem virgâ tantùm, sed etiam pecuniariâ multâ coercebantur, cum in agonibus indecentiùs qvid admissum foret. Ex qvibus qvicqvid redigeretur, hoc maximâ ex parte honori Deorum ita committebatur, ut in ipsorum signa impensum olim utplurimum fuisse Pausanias aliqvot locis demonstret.

§. 23. Omnibus igitur ritè dispositis assidebant Agonothetæ, purpurâ amicti, sceptrum seu virgam tenentes. Hi plerunq; etiam Hellanodicarum vel Criticorum h. e. judicum habebant officium. Dico plerunq; non semper, qvod patet ex Ætolo Oxyla, qvi primus Olympicorum ludorum judex ab Hercule ipsorum auctore & Agonotheta constitutus, justitiæ & pietatis ergo. Strabo Libr. 8. Et *Pausan.* Eliacis.

§. 24. Qvapropter haud mirum Hellanodicas Rabduchos fuisse virgamq; gestâsse, cum apud Athenienses omnium judicum insigne virga seu baculus fuerit, qvæ Virga ab Homero Sceptrum appellatur, Simile qvid fermè habet Camerarius Cent. 2.c.21. hor. Subc. de duello duorum Hispanorum, cui præsens Carolus V. ubi dicitur: *Primus omnium Cæsar adveniens suam adscendit scenam, dataq; est ei virgula deaurata, qvâ in terram projectâ pugna dirimebatur.* Priusqvam veniam ad Coronationem; hunc morem adhuc nota, qvod qvisq; Athletarum in decertatione habuerit socium, qvi eum adhortaretur.

§. 25. Ludis finitis ab Hellanodicis seu Athlothetis coronabantur maximis solennitatibus Victores. Mensa præsens erat, super qva Victoribus coronæ erant depositæ. Hanc Colotes Phidiæ discipulus & in faciendo Jove Olympico adjutor formavit, ut Libro 5. Pausanias ejus meminit. Coronati magnificè & honorificè per stadium ducebantur, amicti floridâ & triumphali veste.

§. 26. Et ut eò magis præmiis ad hæc Agonistica allicerent juventutem, non in uno certamine unicum saltem, sed sæpius secundum

cundum & tertium favore populi pro iis qvi valenter & strennè, qvamvis vincerentur, sese gessissent, qvorumq; merita præ cæteris post victorem antagonistis erant insignia, proponebantur. Is demum victus habebatur, qvem unus, aut alter, aut etiam Tertius ita præcessisset in faciundo fortiter atq; strenuè, juxta morem legemq; certaminis, ut postremus ipse relinqveretur. Aliqvando etiam legitur de qvarto præmio vel coronâ, ut ap. Plutarch. in Alcib. *Qvanqvam propriè is esset victor, qvi cæteris omnibus ita præstiterat, ut prima sibi abstulisset præmia, qvæ ipsa majora nominabantur ab Antiqvis Romanis.* Fab. 3. Ag. 20.

§. 27. Hæ coronæ fiebant olim è *malo*, dein ex *oleastro* responso Apollinis non ex *lauru*. In Isthmiis *pinus* præmium victoriæ, post, *Apium aridum*. Nam *viride Apium* Nemæis pro præmio tributum constat. Pythiis qvidam *Palmeam coronam* adjudicant. Ego sanè invenio palmam in ludis omnibus victoribus concessam.

§. 28. In tanto honore & existimatione Græcis hæ fuerunt coronæ, ut ne donationes regnorum hisce ipsis fuissent chariores. *Gloriosius judicabant in ludis istis vicisse, qvam Romæ triumphasse.* Cic. L. 2. Tusc. n. 17. Ipse Rex Philippus Macedo, pro singulari fortuna putabat, cum in Olympicis coronaretur absens. Sanè maximum honorem fuisse exinde colligitur, qvod muros non aliter ac in tirumpho ante illos disjicerent. Vitruvius de Architect: Libr. 9. *Nobilibus Athletis, qvi Olympia, Pythia, Isthmia, Nemæa vicissent, Græcorum Majores ita magnos honores instituerunt, ut non modò in conventu stantes cum palmâ & coronâ ferant laudes, sed etiam cum revertuntur in suas Civitates, cum Victoriâ triumphantes qvadrigis in mœnia & in Patrias invehantur, æqvè Resp. perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* Nomina eorum in publicum referebantur Commentarium, statuæ illis ponebantur, Victricia carmina illis exhibebantur, deniq; ignis non aliter ac principibus Romanis & eorum Prætorio Præfectis in publicis Solennitatibus illis præferebatur. Qvem morem ultimum Chrysostomus homil. 70. ad pop. Antioch: confirmat, ubi de ritu funerum sic loqvitur: *Qvid enim ardentes qvæso Lampades sibi volunt? Nonne tanqvam Athletas eos comitamur.* Taceam de maximis privilegiis immunitatibusqve.

§. 29. Pos-

§. 29. Possem hic etiam loqvi de honoribus ipsis eqvis Olympicis exhibitis, qvi uno nomine ἀθλοφόροι dicebantur. Verum hoc consultò remitto ad disputationem qvam meditor bono cum Deo ad Tit: C. Th. de Eqvis Curulibus.

§. 30. Accingam nunc tenuitatem meam ad proponendum Athleticam, qvo tempore Ea à Græcis ad Romanos pervenerit. Dari fuere ludi Gymnici Romæ primum in Ædilitate Æmilii Scauri ut Valerius Maximus Libr. 2. cap. 8. auctor est, ubi. *Athletarum, ait, certamen à M. Scauri tractum est magnificentiâ*: Cum longè antea anno qvo Tarqvinius Priscus regnare cœpit designatus fuerit locus, teste Livio Dec. 1. Libr. 1. dein Q. Sulpitio & Sp. Largio Coss. festum diem cum processione seu pompâ sacrificiis ludis ex voto A. Postumii Dictatoris indictum & exactum narrat Dionys. Halic. Libr. 7. Ubi post eqvorum agitatores Athletæ qvi Gymnicis agonibus decertabant minimè prætermittuntur. Per hunc Dionysii locum Livius Dec. 4. L. 9. castigatur qvi dicit: *Apparatos deinde ludos M. Fulvius qvos voverat Ætolico bello, fecit. Multi artifices ex Græciâ venerant honoris ejus causâ. Athletarum qvoqve certamen tum primò Romanis spectaculo fuit.* Notantur etiam nomina Livii L. 2. Dec. 1. Servium enim Sulpitium & T. Largium nominat. Sed accedimus Dionysio. *Sulpitio etiam Petico & Licinio Stolone Coss: ludi Scenici nova res bellicoso populo (nam circi modò spectaculum fuerat) inter alia cœlestis iræ placamina instituti leguntur.* Liv. Dec. 1. Libr. 7.

§. 31. Multa adhuc habeo loca, qvæ confirmant Athletarum in Romana Rep. ludos. Historia nihil certi de origine ludorum definit, ut ex §. sup. videndum. Si opinioni locus qvidam esse potest, autumo eorum rudimenta statim cum Græcis (qvos Romanorum esse Patres statuo) in Italiam venisse: nempe cum Thessalis, Pelasgis, Arcadiis, cum Evandro, Hercule & Trojanis. Sed tenuia erant propter tenuem in tenui statu religionem. Crescente verò statu illorum crescebat etiam magnificentia religionis & per conseqventiam ludorum, qvi ad religionem pertinebant. Qvod imprimis accidit post devictos Græcos. Noto tamen eos non fuisse ordinarios sed extraordinarios. Scilicet ante Imperatorum tempora spectacula Athletarum non fuère in Urbe ordinata. Sed si iis o-

pus erat evocabantur Græciâ Romam, usq; dum sub Imperatoribus, præcipuè sub Nerone statum haberent locum, fieretq; eorum exercitium ordinarium. Cui Romani post Græcos magna privilegia adjungebant, qvæ *Augustus conservavit & ampliavit*: Sveton. in ejus vitâ cap. 45. *Ille enim Imperator, Spectaculorum & assiduitate & varietate atq; magnificentiâ omnes antecessit*, ut habet init. cap. 43. loc. cit. *Qviq; nulli Græco certamini interfuit, qvo non pro merito qvemq; certantium honoraverit*. cap. 45. Et pluribus locis ff. dicitur de Athletis, qvod illis tribui soleat civilium munerum vacatio: excusationemqve à Tutelâ habeant. *Qvemadmodum in gratiam liberalium Artium Professoribus concessa est immunitas, ita etiam Athletis, qvi non mercedis, sed virtutis formandæ & ostentandæ causa in palæstrâ pugnabant & se & alios exercebant*. Perez. ad C. h. t. n. 1 præcipuè qvi Sacris certaminibus coronati sunt.

§. 32. Nec potes objicere hanc artem esse ludicram. Sabinus qvippe & Cassius responderunt, Athletas omninò artem ludicram non facere. *Virtutis enim gratiâ hoc facere & generaliter ita omnes opinantur*. Ulpianus l. aut damnum 8. §. qvicunq; ff. de pœnis sic inqviens consentit: *sic etiam è pugilibus institutos qvospiam, qvi sponte scilicet virtutis & honoris ergo huic artificio se dederent, alios ei laberi ad populi voluptatem suamq; pœnam damnatione judicum fuisse nuncupatos*. Hinc magni habebatur penes Romanos officium designatorum, qvos Græci Βραβεῦτας vocant. Sanè locus ille à Principe hodiè non pro modico beneficio datur.

§. 33. Ipsa Reip. numina Scipio, Lælius, ejusq; Gener Scævola Augur etiam perfectâ ætate sese pilâ exercuerunt. Hos secuti P. Valerius Consul, Pompejus, Trajanus, Hadrianus, de qvo sic legitur in Spartiano: *Eqvitavit ambulavitq; plurimum, armisq; & pilo se semper exercuit*. Iterum in Vopisci Aureliano: *Nullum prætermisit diem, qvamvis festum, qvamvis vacantem qvô non se pilo & sagittis cæterisq; armorum exerceret officiis*.

§. 34. Parentes qvidam ipsi liberos suos docebant, ut Cato Priscus, apud Plutarchum, *filium suum præivit, & docuit ipse non solum jaculari aut armis depugnare, & eqvitare, sed & pugillatum exercere*. De Mario Consule e se sene, rursus Plutarchus, *tamen filium ut rectè institueret qvotidiè cum lectissimis juvenibus in campum educebat*

bat, varia corporis exercitia proponebat, ut armis assvesceret, ut corpori robur & agilitatem conciliaret.

§. 35. Horum exemplis ni fallor moti qvidam summi Imperatores, dico Valens, Gratianus & Valentinianus, ut intermissum certamen Gymnicum Carthagine restitui voluerint. Video id ex Epistolâ ad Hesperium Africæ Proconsulem, in hanc rem missâ, ejus verba Justinianus noster in Cod. suo exhibet: *Non invidemus sed potius cohortamur, amplectenda felicis populi studia, Gymnici ut agonis spectacula reformentur.* Idem fecêre Diocletianus & Maximianus. Cum Præses Provinciæ impensas qvæ in certaminis editione erogabantur ad refectionem murorum transtulisset, expressè rescripsere: *Solenne certaminis spectaculum post restitutam murorum fabricam juxta veterem consvetudinis legem celebrabitur* l. un. C. de exp. publ. lud.

§. 36. Qvia vero magni momenti erat privilegium de Vacatione munerum Athletis concessum, ideoq; cautè etiam procedebant. Et qvamvis in nostro Rescripto habeatur vocabulum *Athletæ*, credibile tamen est, id non explicandum esse, in suâ latitudine, qvatenus comprehendat qvoslibet ludorum Sacrorum Agonistas h. e. non Gymnicorum modò qvi in Palæstris Xystis & stadiis exhibebantur, de qvibus apud Xenophontem; Sed Musicorum qvoqve sive scenicorum: Verùm de solis Gymnicorum Agonistis, ut Pollux etiam hoc vocabulum Athletæ ad Gymnicos propriè spectare admonet. Qamvis Plato libr. 6. de ll. illud etiam ad Musicos referat.

§. 37. Cupis rationem. Faber Libr. 1. Ag. 3. dat pulcherrimam, cur adeò coarctanda sit hæc nominalis explicatio, qvia *non expedit Reip. multis competere Rescriptum immunitatis.* Et omnes Scenici homines legibus Romanis ab omni honore pelluntur, licet stipe aut coronis Scenicis donati. Imò absurdum foret ad hos honorem privilegii & immunitatis extendere, *cum ne ipsos qvidem tum temporis Poëtas ullâ immunitatis prærogativâ juvari Philippus Imperator scripserit* l. 3. C. de Prof. & Med.

§. 38. Cautè omninò procedebant, dum adderent, si per omnem ætatem certassent. Nempe qvi exercitationem istam Athleticam tamdiu sustinuerit, viriliterqve ac strenuè ipsâ sit perfunctus, hujus non modò corpus sed animum qvoqve ad patien-

tiam virtutemq; omnem bellicam, egregiis militibus pro Rep. depugnaturis maximè necessariam erigi atq; incrementum accipere.

§. 39. Pergit lex nostra his verbis: *Coronis quoq; non minus tribus certaminis Sacri meritò coronati.* Aliqvi putant Athletas olim fuisse consecutos privilegia immunitatis, acceptâ vel primâ solùm coronâ. Ex Ulpiani verbis id volunt colligere, ubi dicitur l. 6. §. 13. Athletæ ff. de excus. tut. *Athletæ habent à tutelâ excusationem, sed qvi Sacris certaminibus sunt coronati.* Ubi nulla numeri ternarii fit mentio.

§. 40. Ego è contra cum Fabro puto vix etiam olim nisi trisolympionicis immunitatis privilegia concessa fuisse. Opinionem nostram firmamus Clausulâ hujus Rescripti, ubi notanter dicitur: *Tribui solet vacatio.* Nec enim jus induci novum, sed vetus qvod obtinuisset anteà, recitari atq; declarari significat.

§. 41. Hoc attamen novum videtur, qvando dicitur: *In qvibus vel semel Romæ seu antiqva Græcia;* Cum forsan antea tres coronæ, ubicunqve etiam locorum in Sacris certaminibus consecutæ accessum facerent ad Privilegium. Jam verò necessariò ad minimum semel Romæ vel in Antiqvâ Græcia vincendum erat, forsitan propterea qvod ex loci ritu ac instituto rigidior ibi morsû Athletæ indagatio, roboris dijudicatio subtilior, totiusq; juris Agonistici ab Athleta observati approbatio sanctior esse videretur.

§. 42. Non possum hîc prætermittere qvid intelligatur per antiqvam Græciam. Quidam dicunt Italiam, qvæ à Cicerone Magna 5. Tusc. qv. & Major ab Ovid. init. Libri 4. Fast: nuncupatur:

Itala nam tellus Græcia major erat.

Hanc Cujacius ad h. t. intelligit. Non sontica autem profert argumenta. Ego rationibus Utriusq; Plinii moveor ut Achajam intelligendam esse statuam. Locus Plinii Junioris Libr. 8. epist. 24. ad Maximum; fol. 267. Alterius Libr. 4. N. H. cap. 5. *In hac provincia, inqvit, Elis, delubro Jovis Olymp. & ludorum claritate celebris. Item Isthmi pars altera, cum delubro Neptuni, qvinqvennalibus incluto ludis. Hæc dicitur Græcia antiqva.* Nec frustra apud Poëtas *stadium Achæum* & *currus Achaicus* occurrit. Superpondium addit Gorn; Tacitus Libr. 15. annal. ibi: *Acriore indies cupidine agebatur*

Nero

Nero, promiscuas Scenas frequentandi. Non tamen Romæ incipere Scenas ausus, Neapolim quasi Græcam urbem delegit, inde initium fore, ut transgressurus in Achajam insignesq; & antiquitus Sacras Coronas adeptus, majore famâ studia civium alliceret. Et Julianus Imperator etiam eam dixit antiqvam Græciam in epist. pro Argivis.

§. 43. Tandem dicitur *æmulis non corruptis*; qvod videtur esse superfluum. Nam paulò ante dixerat *meritò coronati*. Sed ad meliorem Legis perceptionem hoc additum. Prius generalia removet vitia, posterius speciale, ne commoda Reip. publica sub umbratili suffragiorum pactione lacerentur.

§. 44. Reverentiam hactenus Athleticæ, qvam Græca Romanaq; Virtus illi exhibuit, lustravi. Potuissem ex prioribus Monarchiis idem demonstrare per Chaldæorum in sagittando peritiam; Per Persarum pædiam & eorum circa rem eqvestrem curam. Etenim diviserant omnes ætates in qvatuor classes, ubi in secundâ juvenes exercitiis, prælediis bellicis, & Venationibus, dicabantur sed in Volumina excresceret labor.

§. 45. Id igitur prætermitto & saltim examino, an jure fecerint, & an finem, qvem desiderabant illis, potuerint asseqvi. *Finis* sanè erat optimus, & ille tam *Publicus*, qvam *Privatus*. *Publicus* intendebat removere otium (: qvô nihil Reip. Salubrius :) à juventute, illamq; laboribus ad obeunda bellica munia assvefacere & aptam reddere. Plato Libr. 7. de ll. hunc esse finem Athleticæ existimavit, *ut rei militari subserviat*. Et verò Gymnici Agonis laudes Dionys. Halic. in arte περὶ πανηγυρικῶν f.34. ex eô deduci non injuriâ posse judicavit, *qvod genus istud exercitationis ad virtutem bellicam magnopere conducat*. *Privatus* finis erat, ut exinde robur, bona valetudo & corporis εὐρυθμία h. e. elegans conformatio, & gestus decori acqvirantur. Hinc perpulchrè Terentius introducit Parmenionem laudantem simulatum Eunuchum: *Fac, inqvit, periculum in literis, fac in Palæstrâ, in Musicis: Qvæ liberum scire æqvum est adolescentem.*

§. 46. Qvod verò Gymnastica corporis exercitia membris decoram conformationem & svavem exinde actionum harmoniam & civilitatem infundant, nemo nisi juratus & insensatus Gymnasticæ, Civilitatisq; hostis negare potest. Hæc εὐεξία corporis qvoq; in pueris vegetæ senectutis fundamentum est. Nesciunt

certò Principes Medicorum illam laudare satis. Galenus se infinitos propè imbecilles ad bonum habitum revocasse, & innumeros alios, ne in morbos laberentur, solâ Gymnasticâ conservasse gloriatur. Quoad *publicum finem*, scilicet illam removere otium in propatulo est. Plautus Bacchid. Act. 3. Sc. 3. Veterum circa Gymnasticam ad removendum otium prudentiam sic dicens laudat:

Ibi cursu, luctando, hastâ, discò, pugillatu, pilâ,
Saliendo se exercebant magis, qvàm scorto aut Svaviis.

§. 47. An verò hæc ludicra armorum & præsertim gladii exercitatio conferat ad bellica munia, disqvirendum. Hic statim reclamantem habeo Michel de Montaigne au livr. 2. ch. 3. Qvi damnat planè artem gladiatoriam, putatqve utilem illam qvidem esse ad finem privatum (qvem falsò ibi facit duellum) minimè gentium ad *Publicum*. Vultq; suam Sententiam firmare pronunciato Lacheris, penes Platonem in Lachete Dialogo, qvi expresse sic dicit: *Qvasi enim dedit â operâ nullus unqvam in bello illustris evasit eorum, qvi his ludis incubu runt; Qvamvis in cæteris omnibus proficiant maximè qvi se freqventer exercent, sol tamen hi, præter cæteros ad hoc voti impotes sunt; usq; adeò infortunati videntur.* Sed ad hunc refutandum sufficit primò propria confessio au livr. 1. de ses Essays, ubi in hunc modum, de institutione nobilis adolescentis, verba facit: *Les jeux mémes & les exercices seront une bonne partie de l'estude: La course, la lucte, la Musiqve, la danse, la chasse, le maniement des chevaux & des armes. Je veux qve la biense ance exterieure se façonne qvant & qvant l'ame. Ce n'est pas une ame, ce n'est pas un corps qv'on dresse: C'est un homme, il n'en faut pas faire a deux. Et comme dit Platon, il ne faut pas les dresser, l'un sans l'autre, mais les conduire également, comme une couple de chevaux, attelés à méme timon. Et à l'ouir, ne semble-il pas prester plus de temps & de solicitude aux exercices du corps: Et estimer qve l'esprit s'en exerce qvant & qvant, & non au contraire.*

§. 48. Imò in promptu ratio, qvod hæc exercitatio faciat ad fortitudinem & robur corporis, *primò* propter motum: Qvia omnis motio, secundum Medicorum placita, calorem nativum, promotorem fortitudinis, excitat. Deinde propter laborum patientiam

rientiam in bel'icis oper'bus maximè necessariam, ubi è contrario οἱ ἀγύμναστοι τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ παντὸς κοπιῶσι πόνου i.e. *Inexercitati homines ab omni labore fatigantur ait* Hippocrates Libr. 2. de Diæta. Qvo illa etiam verba ex Hellanodicarum admonitione ad Athletas Olymp cum certamen inituros pertinebant: εἰ πεπόνηται ὑμῖν ἐπαξίως τοῦ ἐς Ὀλυμπίαν ἐλθεῖν. Et laborum patientiâ qvi milites fuêre insignes, etiam Victoriis fuêre insignes. Victores Romani tales habebant milites, de qvibus Plutar. hus in Mario tradidit: *Eos sic fuisse laboribus j etos factosq;* (ἀκαμάτους uno verbo) *ut nec sudantem nec suspirantem qvenqvam cerneres, idq; in diuturnâ illâ pugna cum Cimbris magno æstu & aeris concursu Q. Catulum notâsse.* Tertiò propter abstinentiam, ut & jejunium Athletarum, de qvo Basil. 1. Homil. de jejun. & Paulini epist. 2. ad Severum de castitate, loci.

§. 49. Qvis igitur non videt inter milites & Athletas ob dictas rationes maximam intercedere similitudinem. Qvamobrem & à Platone *milites Athletæ bellici* sive militares nuncupabantur, ut patet è Tertio de Rep. libro. Platonem imitatus Polybius Libr. 1. f 3. qvi Romanis militibus propterea nomen *Athletarum* & qvidem *verorum* tribuit.

§. 50. Si hisce omnibus acqviescere nolles, possem adhuc ex Mercurial. Libr. 2. de re Gymn. afferre Athletas etiam aliqvo onere ferendo corporis exercendi gratiâ antiqvitus fuisse occupatos. In qvanto studio verò Romanis fuerit militem in onere ferundo exercere, cuiq; patet clarissimè, ex Clarissimi Lipsii Libro de Milit. Rom.

§. 51. Cursum qvoqve primum illud Græcæ Athleticæ exercitium ejusq; utilitates non parum laudat Vegetius Libr. 1. de re milit. *Illo exercitatus miles majori impetu in hostem fertur, loca opportuna celeriter occupat, vel, adversariis idem facere volentibus, præoccupare discit, ad explorandum alacriter pergit alacrius redit, fugientium terga facilius comprehendit, & qvi adhuc usu sunt alii.* Achilles ipse qvandoq; cum militibus ad metam cucurrit. Cursus porrò utilitatem militibus sic commendat L hneisen in Aulic. Polit L br. 1. c. 52.

Soldaten sollen im Lauffen geübet seyn / nicht auß der

Schlacht

Schlacht zulauffen/ sondern Berg auff und ab / und auff der ebene und im Felde den Feind zuverfolgen/ oder Schlangenweiß zuverführen / oder sich selbst vorn Schuß zusichern. Deßgleichen Sturm zu lauffen/einen Kerl einzuhohlen/ und sonsten. etc.

§. 52. Nec obstat qvod sæpius legatur de Athletis saginatis. Nam intelligendum ne esse hoc fuisse propter diuturnam & continuam exercitationem; qvia ipsius neglectu plurimi naturale ipsum robur amisissent.

§. 53. Tandem confert ad fortitudinem bellicam propter peritiam armorum. Ex peritia verò armorum fortitudinem adjuvari argumento est militaris fortitudo, qvæ secundum Aristotelem Libr. 8. Ethic. cap. 8. ex peritiâ nascitur. Hæc erat ratio cur Hieronicæ Spartano Regi depugnaturo erant proximi. Fab. L. 2. Ag. c. 16. Notanter dixi conferre ad fortitudinem. Longè enim aliud est conferre, aliud sufficere ad habitum acqvirendum. Igitur reqviro imprimis hominem, suapte naturâ non timidissimum.

§. 54. Experientia insimul testatur, Gladiatoriam non adversari cum reliqvis armorum exercitationibus ludicris fortitudini, ut putavit Laches. Penes Livium L. 28. Corbis usu armorum & astu facilè stolidas vires minoris superavit. Et Scipio Claramontius suppeditat se vidisse Viros certaminum hujusmodi peritissimos, animositate insignes. *Sylvius Piccolomineus celeberrimus totâ Italiâ vir, qvi peritiâ hac certandi insignis, fuit fortis admodum, etiam ex pluribus duellis veris non umbratilibus gloriam reportavit; Sed in publicis qvoq; bellis militari, nedum, sed imperatoriâ qvoq; laude floruit. Pandulphus Spranius Civis noster ex nobili familiâ stabili qvadam animositate fuit clarus, inq; periculis ac multis pugnis specimen præclaræ virtutis exhibuit. Erat idem certandi ac digladiandi peritissimus.*

§. 55. Nec obstat qvod vulgò dicatur, Magistros ejus artis qvi in eâ qvamplurimam profecerunt, ignavos esse ac timidos, si in veram pugnam veraq; pericula inciderint. Respondendum hîc cum Saavedrâ Symb. Pol. 1. *Nascitur animus fortis, non arte paratur.* Sic nunqvam hæc ars, qvando cadit in hominem naturâ

timi-

timidam illi totaliter infundere animositatem potest. Est ea saltim medium excitandi & ad perfectionem deducendi latentem animositatem. *Altera verò & principalis ratio* est, qvod hujus artis Magistri ut plurimum propter informationem, in qvâ adversarii vitia proponunt & suo corpore repræsentant, paulatim talem malum habitum sibi ipsis acqvirant, qvi eis deinde in veris pugnis qvam maximè obest, ut ipsi sæpius peccent contra regulas, qvas discipulis suis tradunt. Hinc per experientiam in proverbium qvasi abiit: Rarò Magistri & informatores hujus artis in pugnis obtinent. *Accedit* & hoc, qvod fluit ex superioribus, nempe cum Magistri hujus artis id sciant, qvod rarissimè, & fermè nunqvam sese exercitent (idqve ideò ne Discipuli hoc videntes per ignorantiam adscribant arti commissa Magistri vitia,) & sic penitus inexercitati evadant, ut ita facilè ab aliis vincantur. Qvandoqve etiam aliqvi videntur timidi, qvi id tamen revera non sunt, & qvibus cautum providumq; pectus. Vera fortitudo semper debet habere cognitionem periculi. Exinde seqvitur bardos haud esse fortes, qvi nesciunt an gladius interficere possit.

§. 56. Hic non incommodè indago rationem, *cur Gymnastica corporis & in eâ gladiatoria tantùm hodie sordeat & fermè infamis audiat?* Hæc mihi videtur probabilis, qvia communiter caculæ & levissimi homines, cum nihil solidi unqvam in juventute, qvo vitam tolerare possent, addidicerint, illam exerceant. Hi per transennam visâ qvadam ejus umbrâ, statim propter otiosam vitam, qvam per illam acqvirere autumant, eam profiteri præsumunt, tamq; sæpenumerò miserabiliter tractant, ut dolores ciant illis, qvi hujus rei fundamentum nôrunt. Offuciarum non artium Athleticarum dicantur Magistri. *Saginam* venantur non veram antiqvorum virtutem. Eleganter de illis verèqve dici potest *vivunt in Saginâ* in illamq; virtuosos detrudere tentant. Propertius qvippe *nomine Sagina luxum gladiatorium intelligit*, apudq; Cornelium Tacitum hoc invenio in Sensu composito l. 2. An. *Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam Saginam dividebat.* Relegandi omnino essent ad priorum temporum Athletas, solitos caricis siccis, caseisq; recentibus vesci, ut est apud Laertium. Phavorinus & Plinius l. 23. c. 7. hordeo victitâsse

tâſse eos referunt fabis & Priſanâ Galenus l. 1. de alim. facult.

§. 57. Omninò cùm conſtet Exercitiorum excellentia & utilitas, expediret Reipubl. tales ignavos fucos arcere. Præcipuè Gallos qvosdam, qvi, nihil virtutis habentes, noſtram Nobilitatis juventutem corrumpunt. Non loqvor hîc de probis. Virtutem enim in qvacunq; natione veneror atq; amplector. Sed ſaltim de improbis, qvi Gallicô ſub nomine, ſuas neqvitias & ignorantiam nobis inſtillant, atq; chariſſimo pretio divenditant. Publica id autoritate deberet fieri, Gymnaſticæqve doctrina viris, moribus & virtutum ſplendore præditis, eſſet committenda, præcipuè verò in Academiis. Sed hoc vix ſperandum. Ratio difficultatis in eo ſita qvod ad ſolidè illam addiſcendam multi ſumptûs reqvirantur, nemoq; moratus cordatúsqve hodie reperiatur, qvi artem qvæ tam malè audit (qvamvis immeritò) ſibi comparare cupiat.

§. 58. Dico in Academiis, ubi mihi gravis lis oritur: *An in Academiis Exercitia hæc Gymnaſtica ſint toleranda?* Hic qvorundam objurgationes, & excandeſcentiam audio, qvæ contra meam affirmativam aſſertionem faciunt. Clamitant illam radicitùs tollendam eſſe, qvia graviſſimorum ſæpe facinorum & peccatorum fuerit cauſa. Sed huic objectioni faciliè ire poſſum obviam; Reſpondendo: perinde ut cibo & potui Epicuriſmus inde proveniens acceptus poteſt referri; Sic etiam Gladiatoriæ homicidium vel injuria per gladium commiſſa adſcribitur. Nonne vident hanc cauſam venire nomine per accidens & eſſe præter finem Gladiatoriæ, Concedam illis, proſcribant hanc artem ex Academiis, ſeqventur proſcriptâ artẽ etiam rixæ? Magni mihi erunt ſi tercento hominùm tanto, tam diverſis capitibus, conſtantium, numero, id præſtare ſatagent. Ego ſanè puto millena homicidia & plura adhuc fore perpetranda, ſi tolleretur hæc ars. Incanti ruituri eſſent in ferrum, cum neſcirent qvomodo corpus ſit defendendum, qvam defenſionem non ſolùm natura ut fit in offenſione, ſed præcipuè ars ſuppeditat. Nonne turpe tunc eſſet gladium portare, eum autem evaginare non poſſe, turpiſſimum, eô uti pro corporis defenſione non valere?

§. 59.

§. 59. Instabunt forsan. Cum gladiatoria etiam usus gladii removendus & ille Studiosorum lateribus abjud candus est. Exinde tamen non seqvitur: Ergo Athletica ex Academiis est proscribenda. Illius enim finis non celebrare duella, sed in summo vitæ discrimine se scire defendere. Et qvicunqve legitimam suam defensionem non procurat, peccat contra DEUM, contra jus naturale, contra rempubl contraqve seipsum. Verum enim vero curandum ne fiant ἔργα qvæ πάρεργα esse debent. *Vos incluti hujus Senatus Academici Patres exinde paterna prudentiâ curâ de honestis corporis exercitiis nobis fecistis otium. Divi Electores id confirmantes laudant, qvia laudant, qvod bonum Reip. est & utile.*

§. 61. Vellem hoc confirmare propter peregrinationum utilitates. Sed haud opus. Tu hic præponderas Illustris Seckendorffi. Tua sententia super hoc negotio est decisiva, omnesqve ignorantiæ nubes discutit. Magnifaciendus Seneca. Magnifaciendus Politico, cum Polybio, Tacitus, cunctos superat. Tua prudentia, Tua doctrina. Sic loqveris aureo mehercle in libro des Teutschen Fürsten Staats P. 2. p. m. 231. Sechstens: wird auch Anstalt gemacht / daß zu anständigen und ehrlichen Leibesübungen auch zu Erlernung frembder Sprachen auff denen Universitäten/oder auch wohl auff Gymnasiis Fechtund Tantz-Meister/Bereiter/ Frantzösisch und Italianische Sprachen-Meister / Lautenisten / Fürschneider und dergleichen um leidliche Belohnung zuhaben seyn.

§. 61. Senecam hic imitatur Autor, qvi sic collaudat Romanorum circa Gymnastica curam. *Juventutem Majores nostri rectam exercuerunt, bastilia jacere, sudem torquere, eqvum agitare, arma tractare.* Talia enim exercitia verè conferunt ad virtutes bellicas. Spartani suam juventutem ad Eurotam fluvium laboribus & exercitiis ferè qvotidianis ad functiones militares præcolebant. Et hoc solo medio per D. annos Græciæ principatum tenuerunt vid. Plutarch. in vit. Lac: & Lycurgi.

§. 62. Nobis hoc in antiqvum fordet, cum absq; sudore vix paretur. Concredimus potius hunc laborem Turcis, qvorum

Regulæ Statûs qvibusdam videntur invincibiles. Hi sunt qvi adhûc veram Romanorum Græcorumq; Gymnasticam possideant, ex illâq; tantum terrarum accrementum sentiunt. Hi sunt, qvi ut vere ei huic tam magnifica extruunt palatia, in qvibus inexhaustum illorum robur, viresq; rei bellicæ tantâ cum curâ aluntur, educantur, asservantur. Tolle illa seminaria, & brevi videbis universum imperium concidere, qvod nullo alio post leges qvasdam nititur fundamento nisi armorum exercitio solo. Non qvidem possum ire inficias, duplicem fuisse antiqvorum Gymnasticam, aliam scil. corporis, aliam animi, è qvibus primam salstim, eamqve bellicam, sibi fecere propriam. Et qvidem sufficientissimè. Nam arma sufficientia sunt ad conservandum illorum statum; Imperium sic paratum aliis artibus retineri non potest. Spernunt, uti fertur, studia humaniora, & qvidem benè faciunt, qvia situs terræ id postulat, ut & Turcarum natura. Cùm enim sub Climate calido vivant, illis tantam fortitudinem natura non est largita qvàm Septentrionalibus. Asserit hoc Aristoteles 7 Politic. 7. & L. 6. c. 1. Qvi loca fervida incolunt timidos esse, qvi gelida fortes. Et certissimè constat, studia in abjecto & timido pectore majorem timiditatem producere. Aristoteles iterum hoc affirmat, dicens: Studia hominem reddunt Melancholicum & enervant vires, præcipuè verò speculativa. Qvam verò militari contraria sit Melancholia, nemo ignorat. Gothi mihi exinde placent, qvi cum vellent maximum numerum librorum Græcorum igne abolere, dissvasit unus qvasi instrumenta essent Servitutis, per qvæ homines redderentur viles.

§. 63. In hâc opinione Cato etiam fuit. Unde cum videret tres Oratores excellentes Romam qvi venerant, autor his verbis erat Senatui ut illos pelleret: *Tunc incipient Romani perdere regnum cum Græcis literis dabunt operam.* Hoc est etiam qvod Paravat Romanus ille Marius, sic pro concione verba faciens: *Parum mihi placent illæ literæ, qvæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.* Noli mirari, qvod dicat ad virtutem. Nihil aliud, hîc puto intelligi posse qvàm bellicositas, qvæ κατ' ἐξοχὴν virtus dicebatur. Sic ap. Gentiles autores τῇ ἀρετῇ i. e. virtute gens gente præstare dicimus. Non ob temperantiam vel fidelitatem, vel pieta-

pietatem vel aliam qvampiam moralium virtutum: Sed ob animi fortitudinem in certaminibus manuumq; promptitudinem. Hinc illud Ciceronis pro Muræn. Rei militaris Virtus præstat omnibus. Et paulò post: Summa dignitas est in iis qvi militari laude antecellunt. Cluverius p. 100. Plutarchus qvidem monet puerum ingenuum disciplinas *Encyclias* debere audire & inspicere, sed velut in transcursu addiscere & degustare. Philosophiam verò seriò colere, & in eam multum temporis ac laboris ponere. *Encyclias autem intelligere videtur artes reliqvas præter Philosophiam moralem, sub qvâ Ethica, Oeconomica, Politica, Jurisprudentia & Historica. Huic tamen Philosophiæ nomen κατ' ἐξοχὴν, id qvod non infreqvens, assignat. Heider. Syst. Philos. Pol. c. 1. p. 146.*

§. 64. Qværis rationem cur studia enervent, hanc do, propter qvietem id evenire, qvæ laxat & infrigidat corpora, utqve supra dixi ex Aristotele, Melancholicum habitum causatur, adversantem fortitudini. Claramontius idem sentit Libr. 3. de cogn. lat. aff. c. 10. §. 1. *Philosophia pro tenore qvi in bellicis periculis reqviritur amplius qvam par est, remittit animum.*

§. 65. Dixi superius de speculativis hoc intelligendum esse. Nam studia Historiarum e. g. de gloriâ supra modum inflammant animum, ut qvis ex earum lectione gloriæ cupidus evadat. Miror exinde πολιτικώτατον Sinarum ingenium, de qvibus ita Kirch. in Chin. Ill. p. 6. p. m. 169. *Literati aliam scientiam non sectantur nisi Politico moralem; De Scholasticis & speculativis disciplinis ne qvid sint nominis norunt.* Puto illos eâd. de causâ hanc Philosophiam desvetudini dedicâsse.

§. 66. Nostræ nationi præjudicare id non potest, qvi naturâ sumus fortes, ideoq; bene studiis illum calorem possumus temperare. Naturâ inqvam sumus fortes, nisi planè mutetur in segnitiem fortitudo per educationis vitium, id qvod fit sæpissimè ut qveritandum sit: Nostri dum ad studia & arma nati, utrumq; fermè negligunt. Reperiuntur tamen adhuc aliqvi, qvi fortunatissimè utramq; Gymnasticam tam corporis, qvâm animi connectunt.

§. 67. Manet ergo firmum omnino, usum Gymnasticæ & Gladiatoriæ in Academiis necessariò esse retinendum, illumqve

 omni-

omnibus Studiosis, præprimis Gymnasticæ bellicæ Nobilitati nostræ, concedendum esse: Illis propter Sanitatem & vigorem: Huic propter sanitatem, laborum assvefactionem & promovendam generositatẽ. Cui par est, qvod habet Alsted. Encycl. l. 35 §. 13. *Mediocria exercitia conveniunt illis qvi literarum studiis ex professo sunt addicti. Qvod attinet ad Nobiles Juvenes, omnesq; illos qvi ad arma sunt nati & destinati, magnum est operæ pretium, ut asperioribus exercitiis maturè adsvescant, puta jaculandis telis & sagittis, cursu, pugnis ludicris, eqvorum agitatione & similibus.*

§. 68. Superius duplicem statui gladiatoriam: *Cæsam* & *Punctam*, ut videam qvæ nam præ alterâ emineat, operæ erit pretium. Punctim ferire maximè valebat apud Romanos de qvibus Polybius: *At Romani non cæsim sed punctim; rectis gladiis utentes, mucrone ad hanc rem efficaci ferientes in pectora & facies, plerosq; interfecerunt.* Et utilitatem hujus rei Vegetius annotat l. 1. c. 12. *Non cæsim, inqvit, sed punctim Tyrones ferire discebant: Nam cæsim pugnantes non tam facilè vicere Romani, sed etiam derisere. Cum enim cæsa qvovis impetu veniat, non freqventer interficit, cum & armis vitalia defendantur & ossibus. At contra Puncta duas uncias adacta mortalis est. Deinde dum cæsa infertur brachium dextrum latusq; nudatur. Puncta autem tecto corpore infertur, & adversarium sauciat anteqvam videat.* Gumpel-Zaimerus p. m. 242. de Exerc. Acad. sic judicat: *Punctam cæsæ præferrem si vitæ nostræ periculum adversarii deletionem svadet: & paulò post; Cæsa cum tantum in Academiis freqventetur, nec tamen & in his semper; Puncta autem extra Academias, ego autor sim cuivis, ut non tantùm illam qvam hanc addiscat.* Idem sentit Salvator Fabris (qvi fuit Nobilis Italus & supremus Eqves Ordinis septem Cordium Regis Daniarum Christiani IV. Militiæ Præfectus, Miles strenuus & ob id Charissimus Regi, & in præliis semper à latere:) In suâ arte Gladiatoriâ. Conscripserat eam in honorem Regis, & illius jussu, ut in Præf. videre est. Ejus verba qvæ ex Italico in Latinum translata cap. 5. Part. 1 demonstrant parum prodesse Cæsam contra Punctam, *tam ex ratione duplicis Tempo. & per conseqventiam tarditatis, qvam brevitatis, majoris confusionis majorumq; virium qvæ reqviruntur & adhibendæ in cæsâ.* Non tamen planè improbat, sed paulò post addit: *Qvamvis utrumvis necessarium sit.* Pulcherrimè qvoq; demonstrat

monstrat

monstrat, qvomodo semper puncta prævaleat, qvando solus cum solo & haud cataphractato congreditur. Qvando verò cum cataphractis ut & qvando cum multis res est, putat jam unum jam alterum modum Gladiatoriæ adhiberi posse, qvia Cæsa magis confundit, & unica cæsa plures ictus evitari possunt.

§. 69. Sunt verò plures modi punctim feriendi. Vel enim *solo gladio* utimur, vel gladio adjungimus *sinistrâ manu parvulum clypeum*, vel *pugionem* vel etiam *Sagulum*. Qvi ultimus modus non novus est, sed tempore Cæsaris jamjam apud Romanos in usu. Sic ipse loqvitur: *Sinistra sagulos involvunt, gladiosq; distringunt*. Gallis hic modus dicitur: combattre a l'espeé & la cappe. Et si rectè conjicio hic modus ad analogiam Retiariorum vel laqveariorum, de qvibus supra actum, introductus fuit. *Prior modus* omnino est optimus ut videre est in laudato Salvatoris Fabri I. c. Cui consentit Gallus qvidam René François, aliàs qvidem parvi pretii, hic tamen præter consvetudinem probus: Du tirage des armes. §. 13. *Qui, sçait bien manier l'espeé n'a guere affaire de poignard pour parer aux coups Car du fort il prend le foible, c'est à dire, il reçoit la pointe de l'espeé de son ennemy sur le fort de la sienne, & la fait voler en l'air & la rompt, où au moins eschive le coup. Un des grands Secrets, c'est, de sçavoir bien mesnager, le fort de son espeé, c'est une invention d'un brave Maistre du jeu des armes.*

§. 70. Alios adhuc modos recenset dictus Salvator, qvos examinat, suamqve ex Mathematicis fundamentis deinde inventionem firmissimè stabilit. Præcipuè improbat modum qvendam, qvi illi nominatur *Slanciare*, demonstratq; evidentissimè, illum esse in omni puncta pessimum, & sic qvando brachium ad inferendum prius retrahitur. Deinde etiam solidissimè refutatur modus communissimus, qvi fit *col battere* i. e. concussionibus, qvi qvidem optatum sæpè effectum sortitur, sed saltim contrà illos, qvi nesciunt artificium del portar la spada, vel Cavationum à tempo.

§. 71. Nullus sanè ante Salvatorem vixit, qvi hanc artem ad certa fundamenta & theoreticas rationes potuit reducere. Ille solus tanto labori par sic loqvitur in Præf. Verba ex Italico qvæ latinitate donavi sic sonant: *Gaudeas Lector benev. te posse Gladiato-*

riam

riam certis regulis & fundamentis comprehensam videre; quarum ope ut in aliis artibus è libris solidi qvid hujus artis amator possit discere. Subjungit: *Jam hæc ars gladiatoria, qvæ maximam artem in praxi consistit ex illâ ab Amatore hujus artis in Theoriam verè posita est. Cui Theoriæ eò facilius poterit haberi fides, qvia illi qvi hanc scribit, eam millenis modis tam in se, qvam in aliis vidit & didicit per experientiam.*

§. 72. Suo tempore hic incomparabilis ingenio Vir omnes nationes propter tale inventum suâ laude replevit. Post ipsius verò decessum anno scil. 1618. ætatis suæ 74. natus anno 1544. cum duo qvidam, qvibus præ aliis hanc artem crediderat, alter Germanus, alter Italus, invidiam inter se alerent, & tandem Italus hunc per insidias & ut sicarius interfecisset, & propter tale facinus fugere cogeretur, hæc ars penitus abiit in desvetudinem. Fuêre qvidem aliqvi, qvi nomine hujus artis suas neqvitias & inscitias vendiderunt, illam cum Gallicis, & improbis fundamentis commiscentes.

§. 73. Periisset sanè nisi Generosissimus ac Nobilissimus Eqves *Dn. Heinricus à Velden*, è Fioniâ Danus & per 30. annos Capituli P. Pauli Magdeburgensis Canonicus, olim ipsius Salvatoris discipulus, eam ab interitu vindicâsset. Non spe utilitatis allectus, erat enim satis bonarum facultatum, sed ut in decrepitâ ætate (vixit enim 77. annis) haberet idem exercitium ad sanitatem tuendam, qvod habuerat in juventute.

§. 74. Post hunc ipsius cum fuisset in informationibus Coadjutor & Locum tenens *Dn. Joach. Hynitschius* (jam J.U Cand. dignissimus, hujusq; ingeniosissimi inventi Lipsiæ propagator) integramqve hanc artem h[a]usisset, rursus effl[o]ruit. Hic primus mihi ex fundamentis & rationibus theoreticis hanc artem infudit cum multis aliis exercitiis, jamq; in eo occupatur, qvi universam artem Salvatoris Fabri ex Italico in Germanicum pulcherrimis figuris & forsan additamentis qvibusdam transferat, maximis certè sumptibus & jam opus sub prælo sudat.

§. 75. Vidi ego literas Italicas Româ à Nobili qvodam peregrinante Lipsiam ad Dn. Hynitschium perscriptas, ubi fatetur, hanc artem in ipsâ Italiâ saltem qvoad nomen adhuc vivere, & adhuc esse magnam, cum nemo talis Magister reperiatur, qvi

hanc

hanc verè calleat & profiteatur. Dico verè. Romæ enim Magistri nostro tempore Domenico Spicciatti, ut & Lelio Ursino, hic senio cœcus adhuc in sellllâ informat dum per attactum judicat gladium, adhuc habent, item Gapoferro & Niccoletti Giganti Venetiis, & Francesco Alfieri Paduæ habuerunt olim egregia, qvanqvam non integra, maximiqve fecerunt ex Salvatore, fundamenta.

§. 76. Nos cum (absqve jactantiâ dictum esto) hanc artem purè & ex fundamento possideamus qvoad informationem, ridemus Gallos sanè ridendos, & qvosdam nostrorum Germanorum, qvi, si illorum informatio ad veram rationum incudem revocetur, starent

Ut Lugdunensis Rhetor dicturus ad Aram.

§. 77. Qvidam tam insani sunt, ut integros conscribant de hâc re libros, testes suæ ignorantiæ, qvos si rectè informatus legeres, signa indignationis haud contineres. Et nihilominus Principibus & aulæ magnatibus tales nugas offerre & dedicare non erubescunt, Meherclè non intelligunt prima Elementa.

§. 78. Parco nostræ Nationi; Libet solùm hic taxare Gallos, examinando prima rudimenta. Nesciunt qvid sit *tempo.* Describunt ut facit René François du tirage des armes p. 107. *Qvand ón leve le pied droit pour l'avancer on appelle cela le temps. Qvid si illos docerem esse* aliqvod Tempo absq; ullâ pedum motione? Qvid si demonstrarem esse aliqvam motionem pedum sine Tempo. Aves scire qvotuplex sit Tempo, qvale plenum ictum, qvale fictionem reqvirat, surdi mutiq; sunt.

§. 79. Bone DEus, qvalem Chimæræam confusionem & absurditatem circa *mensurarum doctrinas* nobis obstrepunt, præcipuè urgenti qvotuplices, qvidq; in hâc, qvid in illâ sit observandum. De measuris sic citatus autor. *Aprés le coup il se faut aussi tot remettre en mesure, c'est a dire le pied droit devant planté bien ferme, & le corps bien assis, autrement on chancele aisement.* Tot literæ tot vitia, ex hoc seqvitur illorum ridiculas corporis collocationes o-

 mnes

mnes esse mensuras, qvid absurdius? Et alio in loco sc. §. 6. id repetit. *Il faut estre en mesure pour donner, ou recevoir les coups c'est à dire il faut planter le pied droit devant bien ferme, & en posture asseurée mais unelle. Estre hors de mesure c'est qvand on est ou trop avancé en danger de tomber, où pancher & donner prise à l' ennemy, ou trop reculé, ou le pied en l' air, & le corps en balance & peu affermy.*

§. 80. Qværis qvit sit *stringere* (Stringiren) Severo vultu respondeat, id nihil aliud esse qvam tuo gladium adversarii ad latus premere vel removere. Popularis est omnium Magistrorum error. Nostris ille modus dicitur Sforzar la spada, plusqvam toto cœlo differens à vero modo ꝧ stringere, qvi potest fieré (& subtiliores accuratè id observant) ut ne gladius qvidem adversarii attingatur, & nihilominnus fit alla spada. Sic illi ignorantes dicunt strinxisse eum nihil minus qvam id fecére.

§. 81. Rogas qvid sit *Passare* (passiren) tibi ut arcanum auribus ingerunt: *On dit passer lors qve l' un s' ouvrant trop, ou n'estant bien sur ses gardes, l' autre luy donne un coup en plein, droit, & comme s' il luy vouloit passer sur le ventre, & aprés luy avoir donné le coup à travers il le vouloit renvenser sur le pavé.* Capiant hic ex Salvatore Passare non dici ab inferendo punctam, vel ab incurrendo, sed ab evitando, sc. qvando tam profundè me mensuræ immisi, ut absqve offensione mucronis adversarii non possim me retrahere, tunc præterambulo & me in alterum latus confero, hocq; dicitur passare. Datur qvidem & adhuc alius ꝧ passare modus sc. nel andar di risolutione, diversus ab hoc, qvem tamen hic non intelligimus.

§. 82. Nolo hic prolixus esse in recensendis erroribus, qvos committunt *in fictionibus & paritionibus* (im pariren und fingiren) Iram inexpiabilẽ in me conjicerent, præcipuè qvando dicendum juxta veritatem mihi foret de paritionibus falsis, idq; practicè demonstrarem; Et de fictionibus, qvod nullius sint usus, qvam ut asseres in palæstris eò citius frangant. Non qvidem negare possum talem fragorem & strepitum imperitis posse terrorem incutere. Periti verò id subsannant qvia sciunt illis percussionibus in mensurâ factis centuplam dari commoditatẽ ad inferendum

dum plagas, & extra Mensuram non nocet, sonitu enim qvis non exanimatur. Imperiti etiam id non possunt curare, qvando pugna vera debet fieri, qvippe terra non potest tam leviter percussa fragorem edere, nisi adversarius ante aliqvot asseres ibi poni curaverit.

§. 83. Taceo de cavationibus improbè factis. Non tamen tacere possum, qvod habet supra citatus Gallus qvorsum sc. in pugnis sit respiciendum. *Il faut avoir tousjours l' oeil augvet, & sur l' ennemy, sur tout a ses yeux. Car souvent il darde la son coup d' oeil, où il veut porter la pointe de son espée, ainsi on se met en defence.* Optimam certè infallibilemq; sic habebit defensionem. Dicant mihi qvid faciendum si adversarius sit luscus, si adversarius alium locum respiciat, aliū tangat. Si adversarius etiam tuos intueatur oculos, sicuti illi facis, necessariò ne putabis, tibi qvod velit punctaram oculis immittere. Bona conseqventia, bona doctrina, qvæ consistit in SOUVENT. Hic securiori fundamento opus est, qvod debet versare circa τὸ *Toujours.* Irreparabiles enim hîc sunt errores, & minimus vitam hominis portat.

§. 84. Nolo hîc omnia artis nostræ sacra propalare, cum non conducat Lectori solùm id legere, nisi aliqvando practicè verit videre. Qvi tamen solum theoriam desiderant, adeant citatum Italum Salvatoris Fabri cit. librum. Gumpelzaimerum verò antea audiant sic differentem de Exerc. Acad. p. 243. *Providendum igitur cuilibet est, ut præter Magistros Manuales & præexercitatos (mutus enim, intellige libros palestricos, non sufficit) eosq; peritos habeat. Præcepta certa & vera conformationi corporis & Terminorum (ut Mensurarum, Temporum, motionum pedum, Collocationum, Paritionum, Fintiren/ Caviren, Stringiren, Pasfiren &c.) intelligentiæ studeat, non jejuna frivola & putida* Der Kirmers Bratens Holtz-Fechter *(à qvibus sæpius seducimur & detinemur non levi cum temporis & Sumptuum jacturâ) qvorum usus postea in pugnâ vel nullus, vel exiguus, aut non satis tutus, qvæq; si legas vel audias risum non contineas.* Commendat verò præprimis Salvatoris Fabri Italiänische Fecht-Kunst/

 darin

darin gewiesen / wie man diese Kunst aus ihren fundamenten schöpffen kan.

§. 85. Ubi nota circa Editiones. Optimum est Exemplar Italicum qvod ipse Salvator edidit Hafniæ, anno 1605. sed rarissium est. Deinde Germanicè editum fuit anno 1619. (& ita post mortem Salvatoris) ab Elseviriis, sed mendosissimè est versum, forsan à planè hujus artis ignaro, qvod conjicitur ex terminis technicis, aliisqve locis ubi planè mentem autoris non est assecutus.

§. 86. Qvis Salvator fuerit adhuc ex parvo hocce elogio discas, ab Italo qvodam Magistro egregio hujus artis, Francesco Alfieri, qvi vixit Paduæ post Salvatorem & anno 1640. tractatum edidit P. 1. cap. 2. pag. 7. nella Scherma. *Salvadore Fabris huomo nella nostra professione di grandissimo nome.* Et ipse Salvator lib. 2. nel discorso sopra l' andar di resolutione non leviter subtilissimum suum prodit ingenium his verbis: *Hora trattaremo d' alcuni concetti, non solamente mai più non espressi, da altri, ma forsi non caduti nella Speculatione d' alcuno, ò se pure caduti, almeno non capiti & non intesi sono stati, come troppo sottili messi in disparte dalli ingegni più arguti di qvest' arte.*

§. 87. Hoc qvod jamjam dixi solum in gratiam eorum dictum esto, qvi tam absurdè de nostrâ arte Italicâ judicant, ut non erubescant dicere, illam nullius esse pretii, cuiq; si qvis assvesceret, aliò veniens argentum numeraret, ut illi desvesceret. Judicant de re nunqvam visâ, non aliter ac cœci de coloribus. Nos enim illud possumus demonstrare, ut cogatur illud credere & æstimare qvod antea vilipendit. Rationibus non vanis persvasionibus utimur, & qvidem Euclideis vel principiis nobiscum natis, qvæ nemo sanus unqvam vocavit in dubium. Concedat mihi hæc postulata; *Impossibile est idem simul esse & non esse. Impossibile est, duo corpora esse in uno eodemq; loco. Totum qvodlibet majus qvâlibet sua parte.* Dari in rerum universitate longitudinem & brevitatem, it: robur & debilitatem: Et illi integram nostram artem demonstrabo.

§. 88.

§. 88. Mea me vincit modestia qvin demonstrem qvam multi sub & obreptitia possideant hodiè rei Athleticæ privilegia. *Ingenuus tamen meus candor non potest non dolere filiorum magnatium & Nobilium sortem, qvod meris & veris nugis pro præceptis ad vitam defendendam pertinentibus studantur.*

§. 89. Pro veritate, pro bono publico, proq; existimatione hujus artis paulò liberius (sed verissimè) locutus sum: Et loqvendum sic erat: *Qvando qvis nostra fundamenta diligenter exeqvitur, impossibile est juxta hanc nostram artem ut possit vinci, è contrario omnibus alienis reqvisitis retentis, si accuratum nactus est adversarium Italum, non potest non vinci.*

§. 90. Obstat. Vicerunt nihilominus qvidam Galli, Italicè pugnantes? ℞. Vicerunt vel ex Gallico & *falso fundamento*, qvod accidere potest, qvando Gallus exercitatus cum nostrorum inexercitato aliqvo congreditur. Inexercitatus qvippe vera suæ artis præcepta debitâ celeritate non potest adhibere. Vel vicerunt *fundamento & tempo qvodam infallibili*, qvod malè & Gallicè instituto, se inscio & contra sua præcepta, obvenire potest, qvô aberrans à falsis ad vera, errantem à veris fundamentis ad falsa, vincere potest.

§. 91. Sed si ponerentur duo juvenes æqvè dispositi, qvorum unus Gallicè, alter Italicè instituereretur, tunc manibus post certum temporis spatium posset palpari qvantum prævaleat in hoc recta institutio, qvantum in illo noceat prava informatio. *Italica enim institutio præsupponit ut discipulo omnes modi Gallicæ artis ut vitandi proponantur, ubi è contrario Gallica ne gry qvidem potest dicere de nostrâ. Hæc dicit qvid faciendum contra talem vel talem situationem ex fundamento Lineæ, tam rectæ, qvam curvæ, & hujus tam Circulorum, qvam angulorum, eorumq; æqvè debilitatem ac robur; Qvid expediat & obsit proceræ, qvid parvæ staturæ, qvid cholerico qvid Phlegmatico sit observandum, qvomodo præveniendus sit inimicus Gallus qvicqvid etiam facere velit.*

§. 92. Ipse Salvator qvidem haud negat hanc artem non esse tam facilem, qvæ possit intra aliqvot Septimanas vel menses

 perfectè

perfectè addisci. Minimè: Ego adminimum etiam ex antiqvo Græcorum præconum ritu de qvo supra dixi decem menses reqviro: Et hominem qvi non statim irascitur, qvando austero vultu Magister reqvirit diligentiam. Legatur hic Philostratum libr. 6. de Apoll. vitâ, qvi ait Neronem cum in Theatrum vel Odæum cantandi atqve ad citharam recitandi causâ prodiret, sibi si vinceretur aut in observatione Musicorum Νόμων deficeret ab Elæorum flagris timuisse, tam Agonothetarum seu Hellanodicarum qvàm Mastigophororum: Qvos etiam datis clanculum pecuniis ne deprehensus verberaretur fuisse demeritum Dio prodidit.

§. 93. *Nos non latent omnes modi Gallicè ut loqvuntur digladiari nullusq; veniet Gallus, qvi aliqvid singulare qvod nescimus, unà omnes*, nobis monstrare possit. Non fuit tam absurdus Salvator communis noster Magister, qvi statueret suam opinionem, neqs illam muniret contra omnes insultus partis adversæ. Scimus modos Gallicos, non seqvimur, qvia vitia seqveremur qvia seqveremur qvod rationi sanæ, dico Mathematicæ repugnaret.

§. 94. Salvator noster cap. 17. ubi de situationibus sic scribit: *Qvidam mucrone in terram planè demisso, aliqvando sinistrâ manu arripiunt Gladium, ut eò tenacius illum tenere & eò vehementius adversarii ferrum verberare & dein commodius ferire possent. Imò dicit fortasse melius foret, ut planè silerem de re qvæ plurimum damni parum lucri affert. Sed ne credant alii me haud olim talia vidisse & examinâsse, aliqvam hâc de re feci mentionem. Ita etiam gladii è manibus in inimicum ejaculatione, qvæ ab aliis pro singulari & capitali habetur artificio. Ego illud habeo pro re nullius pretii, qvod qvidem succedit contra illos, qvi gladium adversario relinqvunt liberum, vel proprium planè tenent immobilem. Sed contra illos, qvi sciunt adversario stringere*, (Qvanqvam in toto Salvatore terminus τὸ stringere non occurrat, sed pro illo semper substituatur τὸ trovar la spada) *& ita inimicum ensem occupando in potestate retinere, cavationesq; legitimo modo facere, nihil proderit, sed semper ille qvi vult uti, vincetur & succumbet*, huc usq; Salvator.

§. 95. Possem qvidem multa adhuc pro me adducere, illaq; evidentissimis rationibus deducere, sed hujus rei institutum id non permittit, & si permitteret non placet. Probis paucis placere

cere possumus, improbis nec paucis, nec multis, placere volumus. Sed ad alia digrediar.

§. 96. Diligentem porro reqvirimus discipulum, qvi praxin Theoriâ conjungat, qvi sit cautus qviq; qvàm maximè sibi ab irâ temperare possit. Discat Senecæ præceptum l. 1. de Irâ c. 11. *Gladiatores ars tuetur ira denudat.* Pyrrhumq; ipsum maximum Præceptorum certaminis Gymnici solitum ajunt his qvos exercebat præcipere *ne irascerentur.* Unde elegantissimè illos Poëta taxat:

Non schivar, non parar non ritirarsi
Voglion costoro, nè qvi destrezza ha parte,
Non danno i colpi finti, hor pieni, hor scarsi,
Toglie l' ira & il furor l' uso dell' arte.

Omninò ira est, ira perturbat artem, & qva noceat tantùm, non qva caveat, aspicit. *Idcirco illi monendi*, qvi accepto levissimo ictu irruunt in adversarium, qvasi unico momento illum subvertere vel devorare velint. Et hunc tam insulsum stupidissimumqve incursum qvidam dicunt fortitudinem. E contra hunc timidum, qvi expectans placidè occasionem, & pro re natâ suâqve pro defensione jam cedit jam instat. Nihil vis potest ubi prudentiâ & arte opus. Accuratum judicium hæc res reqvirit, cui planè adversatur ira.

§. 97. Semper mihi ridicula visa fuit Gallorum digladiandi consvetudo, præcipuè cum eorum leges video, ubi dicunt, *non esse legitimum, cum feriente simul ferire.* Sed post adversarii exceptum ictum esse feriendum. Qvasi adversarius qvi tuam qværit necem ad tales nugas se pateretur obligare. E contrariò discendum foret, hoc ut evitare possis. *Qværis qvomodo?* Dabo tibi consilium præsentissimum, qvod ab omni te hoc periculo liberabit. *Discat ab Italis artificium del portar la spada, del tener il nimico sotto la potestà pel trovar la spada, con la Contrapostura,* & prima motio adversarii in mensurâ facta dabit optimam interficiendi

di vel vulnerandi occasionem. Tibi ad victoriam, inimico ad cladem.

§. 98. Alia consvetudo non minus insulsa. In duellis spatiolum describitur, qvandoqve etiam pallium explicatur, super qvo digladiantur. Infame judicant retrocedere, timidumqve existimant, qvi pro renatâ jam cedit jam instat. O insaniam! Me qvidem non latet apud Romanos jam olim moris fuisse, curæ summæ laudisqve maximæ, manere in statu. Status autem dicebatur gladiatorum positura ex arte, & phrasin Romanam statum stare nostri eleganter exprimunt per phrasin im Lager liegen. Sed æqvè malè fecerunt, nisi velis dicere Romanos per hoc voluisse subditis persvadere immotè in acie & pugnis stare. Dicis E. obest virtuti bellicæ. R. minimè. Miles gregarius immotè debet pugnare & nescire qvando cedendum. Duci verò exercitûs qvi vera illius est anima hæc cura incumbit.

§. 99. Sæpius dixit Salvator Fabris in fundamentis nostræ artis pulcherrimum latere bellorum concentum. Exemplo igitur bellico id demonstrabimus. Hannibal ad angustias redactus ipsi ne est infame prudentes retrocedere ad capiendum commodiorem pugnæ locum? Nonne ipsi major gloria flammas boum cornibus imponere, qvam si insanum fecisset insultum? Nam prudentiæ est cognoscere periculum illudqve evitare scire.

§. 100. Ego sanè dico in Gladiatoriâ omne punctum totius politicæ modernæ, qvamvis corruptæ, qvæ est simulare & dissimulare, latere. Nonne in fictionibus simulo qvasi hoc vellem & facio aliud, nonne in falsis Temporibus (Italis dicitur una Chiamata) me fingo non intelligentem, qvi tamen optimè propositum adversarii prævideo, Sed hoc prolixius deducendi ad aliam commodiorem occasionem remitto.

§. 101. Redeo ad superiora. Nec inficias eo nostram artem magis consistere in progrediendo qvam in retrocedendo. Nihilominus eò possem ab adversario esse deductus, ut absqve periculo vitæ ne motionem qvidem facere possem, qvod fit qvan-

do

do inimicus me sub potestate habet per contraposituram. Qvid verò sit *contrapositura* hic disce: Nempe est ejusmodi situatio contra qvam (si fictione singulari qvæ Jtalica vel cum Contrapostura dicitur procedit) nihil ex totâ arte inveniri potest, neq; ex lineâ rectâ neqve ex curvâ seu angulis, neqve declinatione vel corporis gyratione, neqve contratempo, neqve cavationibus neqve paritionibus, qvo hæc vel evitari vel cui contra iri possit. Et in hoc unico tota versatur ars gladiatoria, in hoc unico omne ingenium & artificium Jtalorum latet concentratum. Qværis qvomodo fiat, non opus est id chartis mandare, qvia maximam partem non posset intelligi, dum id consistat in praxi. Igitur ut veniamus ad Scopum si per meum errorem inimicus Contraposituram nactus fuisset, nullo alio remedio qvam mensuræ ruptione, qvod tamen fieri debet prius qvam fictio cum contra posturâ finiatur, me defendere qveo. Hoc est illud de qvo communibus Gallis (vel etiam nostris Magistris,) ne nomen qvidem innotuit, vel si innotuit, res planè mansit incognita, qvia fundamenta qvibus ea superstructa fuere incognita. *Hanc si calles similis es bono Duci, qvi cùm videt aciem inimicam in campo stantem, sic suas scit ordinare copias, contraq; illam facere posituram ut impossibile sit inimico qvandam prærogativam vel superioritatem acqvirere, sed tibi hoc omne concedere cum victoriâ.*

§. 102. Accuratum judicium hæc res reqvirit, cui planè adversatur *ira*. Seneca olim hoc exprobrabat nostris ut legitur l. 1. de Irâ. *Germanis qvid est animosius? Qvid ad incursum acrius? Qvid armorum cupidius? &c. Hos tamen Galli, Hispani & Asiæ, Syriæq; molles bello viri anteqvam legio visatur cædunt, ob nullam rem aliam opportunos, qvam ob iracundiam*: Et paulò supra: *Qvid est aliud qvod barbaros tanto robustiores corporibus, tanto patientiores laborum comminuat nisi ira infestissima sibi.* *Cautus* etiam qvam maximè esse debet & *perspicacis ingenii*. *Cautus*, ne statim credat hunc timidum qvi cedit, nec semper adversarium ex metu fugere. Hoc fundamentum neglectum Cyrum cum

exercitu delevit, Vulcano Trojam immolavit, tam sæpè partas victorias rursus perdidit. Politici exinde ansam sumpserunt ut coaderent hanc observationem : *Cedenti hosti pons aureus est struendus.* Nam *vel verè fugit*, timore suppressus, non poterit hoc tibi obesse, cùm sæpissimè dum victi nullam spem aufugiendi propter acriter instantes hostes habuerunt, desperatione adacti, horrendè fœdarunt insequentes ne inulti morerentur, & sic victis qvondam redit in præcordia virtus. *Si fictè fugit* tibi maximum erit bonum. Qvia tali modo multas potes evitare insidias. Id qvod ultimum sæpissime usu venit in Gladiatoriâ, ut aliqvis retrò cedat, ad capiendam commodam interficiendi commoditatem. *Debet verò & perspicacis esse ingenii*, ut sit bonus Captator *occasionis*, vel ut dicimus in Gladiatoriâ *Temporum*. *Occasioni Germanæ Mercurii Enagonis sive certatoris seu certaminum præsidis* (ut pote qvam Jon. Chius in ipsius hymno liberorum Jovis natu minimum finxerit) *vetusti Græci in ipso stadii Olimpici aditu aram*, *Mercurii aræ proximam eâ ratione locaverant, qvia prudentia ratio & judicium ad expectandam nec prætermittendam tamen occasionem cavendi aut feriendi qvam maximè valet*, annotat Faber l. 1. Agon. Cum sæpissime usu veniat ut in arenâ gladiator consilium capiat: *Aliqvid adversarii vultus, aliqvid manus mota, aliqvod ipsa inclinatio corporis intuentem monet*, *ut divinus* Seneca Ep. st. 22. loqvitur. Præter spem fuimus prolixi, ad finem igitur properandum.

§. 103. Coronidis loco libet addere qvæstionem, *ubi Antiqvi & in his Romani, & qvò latere gestârint gladios*? Polybius militiam Romanam gravem describens, hæc habet verba: *Unà cum Scuto gladium imperant, qvem fert ad dextrum femur. Appellant Hispaniensem.* Qvi ritus valde fuit antiqvus, mutatus tamen cum usus parazoniorum, vel ut Tacitus Latinâ voce Pugionum obtineret, cum Lipsio l. 3. Dial. 3. de milit. Rom. statuo. Et hæc mutatio propterea facta circa tempora Flaviorum. Josephus id notat lib. 3. exced. *Pedites utrinq; gladium gestant. Longiorem qvidem illum ad sinistrum latus:*

ſtrum; Nam qui ad dextrum eſt palmi ſive duodecim digitorum menſuram non excedit. Qvanqvam non adeo firmiter hic modus fuerit ſervatus, qvippe uterqve ritunm in Columnâ Trajani & Antonini videre eſt, ubi pleriq; militum pro priſco ritu dextri, Imperator verò & Tribuni ferè ſiniſtri ſunt cincti. Cur hoc? Lipſius l.c. nihil determinat, ſed dicit: Omninò variavit iſta res. Ego conjicio qvod gregario militi ab antiqvo more recedere non facilè & niſi ſpeciali indultu fuerit permiſſum. Deinde fieri potuit, ut habitu & gladio eqveſtri qvi longior erat pedeſtri (& ſic neceſſario ſiniſter portari debuit) fuerint accincti Imperatores & Tribuni.

§. 104. Objicis dextri gladii difficilem eductionem: Non movet. Romanorum gladii non adeo longi erant; puta pedeſtres. Lipſius l. c. conſentit *Sculpturæ veteres ſic oſtendunt, & erutos è terrâ ipſi vidimus, qvi duos pedes in laminâ non explebant.* Item Livius Hiſpanicum gladium dicit brevitate habilem Dec. 1. L. 7. his verbis: *Hiſpano cingitur gladio ad propiorem habili pugnam.* Dextri qvoqve gladii attribuuntur Gallis à Strabone l. 6. & Diodoro Germanis. Sed qvando Titum Livium conſidero, hoc videtur impoſſibile, nam libr. 22. *Gladii Gallis prælongi ſunt, ac ſine mucronibus, Hiſpano punctim magis qvam cæſim aſſveto petere hoſtem brevitate habiles & cum mucronibus.* Diodorus ipſe libr. 5. de Gallis & Germanis illis non denegat longitudinem. *Pro gladiis Spathas gerunt prælongas ex catenis ferreis aut æneis ad dextrum latus dependentes. Sed Spathæ,* verba ſunt Cluverii *Germanorum Gallorumq; fuêre gladii ingentes, prælongi, ancipites, mucrone carentes, qvales ex antiqvo more Svizeros nunc portare videmus, capulo ambabus manibus apto.* Omnino tantæ autoritati non temerè contradicendum. Et colligere eſt ex antiqvis imaginibus, antiqviſſimis temporibus omnes Celtes tam Germanos qvàm Gallos atq; Hiſpanos Britannosqve à dextro geſtâſſe latere gladios, poſtea verò ad ſiniſtrum tranſtuliſſe. Verum enim verò impoſſibilis fuit eductio ſi prælongi fuerunt.

§. 105.

§. 105. Nos nihil movet qvin credamus gladios in latere nudos, qvi ipsa corpora non tegebant, portâsse. Vel si vaginas habuerunt, forsan tali modo constractas, ut olim vidi, qvæ recludi poterant, ita ut non opus fuerit eductione. Et tales patrum nostrorum memoria in Hispaniâ fuisse in usu, propter immensam longitudinem ferri, qvod tunc temporis ad punctam portare erat volupe, mihi relatum.

§. 106. Tantum Tibi Benev. Lector ingenioli mei renuitas in hisce titulis antiqvitatum pulcritudine plenissimis discutiendis præstitit. Sed non præstitit ut debuit. Nec potuit. Id enim adultorum est ingeniorum. *Parvum parva decent.* Sic etiam parvitate ingenii parva, ast de re non parva dixi. Non culpabis, si audere pulchrum. Tibi si non placeo, fac ad minimum ne displiceam.

Hoc meum ex animo
Votum.

FINIS.



